Annus XV. I Januarius 1902. Num.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO

PRESBYTERORUM CONG.NIS MISSIONIS

DIRECTIO: Via della Missione, 2 — ROMA

Fili hominis, pone cor tuum et . . . auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(EZECHIEL, II, 5).

Tanti refert ut, quae Ecclesia de sacra Liturgia decernit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta sancte tractentur et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.

(Br. PP. LEONIS XIII, 10 Maii 1899).

SUMMARIUM.

S. R. C. Decreta novissima, pag. 1 — Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae, XII, p. 7. — Expositio Novissima Rubricarum Breviarii Romani p. 18 — Instructio Clementina Pro Oratione Quadraginta Horarum p. 28 — Dubiorum Liturgicorum Solutio p. 84 — Breviora Responsa p. 48 De festis aliquibus diebus mobilibus celebrandis p. 58 — Quaestio Canonico-Liturgica p. 58 — Appendix p. 79

ALMA COLLEGE P LIBRARY EL Alma California

ROMAE

DESCLÉE, LEFEBVRE & SOCII

S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

Via S. Chiara, 20-21.

41131

MONITA.

Consociati, qui ad hanc Administrationem scribunt, vel pretium subscriptionis mittunt, etiam per interpositam personam, NON OMITTANT **adnotare numerum inscriptionis.**

1. — Si qui pretium annuum subscriptionis nondum solverint, rogamus, ut quamprimum faciant, alioquin sequentes distributiones *Ephemeridum* non recipient.

2. — Item rogamus, ut subscriptionem tempestive renovent, maxime qui non directe apud hanc Administrationem se subscripserunt, sed ope bibliopolarum; qui cum minime respondeant ultra statutum tempus, cogimur expeditionem intermittere, hoc transacto, ni renovata subscriptio sit. Sed ut securius et promptius distributiones recipiant, et ut magis huic Administrationi faveant, *directe*, in quantum fieri potest, *apud ipsam subscriptionem accipiant vel renovent, exoramus.*

3. — Consociati, qui *aliter* quam numerata pecunia pretio satisfaciunt, hanc Administrationem moneant, antequam annus incipiat: et de peracta satisfactione infra primum mensem authenticum chirographum remittere satagant. Quod si morose id fecerint, ipsorum conscientia onerata manebit.

Ephemerides prodeunt singulis mensibus; duodecim distributiones cuiusque anni volumen efformant.

Pretium annuum subscriptionis est:

Pro Italia Lib. 10 — pro regionibus omnibus *postali* foedere iunctis, Lib. aureae 11 — pro ceteris regionibus addi debent expeditionis expensae.

Vel iuxta pecuniae speciem regionis cuiusque:

Pro Anglia Sc. 9 — pro Austria Kr. 11 — pro Borussia et Germania M. 9 — pro St. foed. Am. Dol. 2.50 — pro Russia Rub. 4.50 — pro Hispania Pes. 15.

Pro unaquaque distributione Lib. 1 — volumina vero singula Lib. 10.

Adsunt adhuc nonnulla exemplaria integra totius collectionis (vol. 15) harum *Ephemeridum*, quae dabuntur *dimidiato* pretio, *praesoluto* tamen, et *non* computatis expeditionis expensis, quae addi debent pretio.

Annus XVI. Ianuarius 1902. N. 1.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

ROMANA

Instante R.mo D.no Secretario Vicariatus in Urbe, et referente subscripto a Secretis, Sacra Rituum Congregatio, adhaerens voto Commissionis Liturgicae, rescribendum esse censuit: " Particulàm Decreti generalis super Oratoriis semipublicis „ n. 4007, diei 23 Ianuarii 1899: *atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam*, intelligi posse „ de quibuscumque fidelibus, qui, assentiente Domino „ loci, et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad praedicta Oratoria, pro audienda Missa „ etiam in adimplementum praecepti festivi. „ Atque ita rescripsit, die 3 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen. *Secret.*

SUPER RELATO DECRETO

Animadversiones.

Super hoc Decreto in *Romana* commentaria inquiruntur utpote frequentioris praxis: sint pro iis animadversiones sequentes:

1. Animadvertimus in primis, inquiri posse statim, num titulus, quem altera ex Ephemeridibus (M. E. *fascic. 8, pag. 349*) praefato Decreto anteponit, sit exactus: cui quaesito negative reponimus. Dicitur enim: Privata quoque Oratoria, in quibus aliquis fidelium numerus convenire solet ad audiendam Missam, uti semipublica considerari possunt; et Episcopus *(Ordinarius scilicet, non alius)* potest in iis permittere celebrationem S. Sacrificii. Iam nunc, uti patet, fideles non solent convenire in Oratoriis privatis Missae audiendae causa; illa enim, uti mox dicemus, in privatis aedibus eriguntur, et in personae vel in familiae alicuius exclusivum commodum. Quae persona aut familia e domo relativa esse debet, et privilegio speciali fruitur. Hinc non solent, nec possent in iis alii fideles, etsi ad coetum aliquem particularem pertineant, convenire; eoque magis, quia Decretum agit de audienda Missa ad satisfaciendum praecepto. Exploratum est autem, in Oratoriis privatis, solos privilegio ditatos dicto praecepto posse satisfacere.

Insuper, Oratoria privata, quae in aedibus privatis erecta sunt, evadere semipublica nunquam possunt; haec enim in aedibus privatis esse nequeunt, sed in solis Communitatibus, uti ex dicendis constabit. Unde sequitur, Oratoria privata non posse uti semipublica considerari, et Episcopum nunquam in illis permittere posse celebrationem Missae, nisi ad summum gravi de causa et per modum tantum actus transeuntis (Decr. 2404 ad 5), cum eiusmodi facultas a solo Summo Pontifice concedi soleat.

2. Animadvertimus secundo, verba: *Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam*, relationem dicere ad illa Oratoria, super quibus vulgatum est die 23 Ianuar. 1899 gen. Decretum, n. 4007, nempe *super Oratoriis semipublicis*, uti ipse titulus, praefato gen. Decreto praemissus, satis superque patefacit.

Distinguendum est enim inter Oratoria publica, semipublica et privata. Porro certum ex lege est, *Oratoria publica ea esse, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum.* Ita praefatum gen. Decretum ad literam. Certum pariter ex eadem lege est, *Oratoria semipublica ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non fidelium omnium, nec*

privatae tantum personae, aut familiae, sed alicuius Communitatis vel personarum coetus inserviunt. Ita similiter ad literam in praefato gen. Decreto. Denique ex eadem semper lege constat, *Oratoria privata esse illa, quae in privatis aedibus, in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto Sanctae Sedis erecta sunt.* Haec quoque ad literam in praefato Decreto prostant.

3. Porro verba relata, quae refert Decretum in *Romana*, super quo animadvertimus, relationem dicunt ad plura Oratoria, quae in gen. Decreto recensentur, uti quae sunt in Seminariis, in Collegiis, in piis Institutis votorum simplicium, in domibus spirituali secessui addictis, in Convictibus etc., quae omnia semipublica nuncupari debent et sunt, iuxta S. R. Congregationis definitum. Post haec autem singula nominata Oratoria, Decretum gen. addit illa relata verba: *aliaque similia Oratoria.* Ergo ad dicta tantum Oratoria semipublica, nulloque pacto ad privata referri possunt ac debent.

4. Hinc inferendum, vix posse intelligi, quae praecitata Ephemeris habet in Nota, videlicet: dummodo aliquis fidelium numerus Oratorio privato interveniat, Episcopus ius habet illius erectionem et Missae celebrationem in illo permittendi: atque ita ut Missa diebus festivis pro omnibus inservire valeat in satisfactionem praecepti. Haec uti sonant non satis intelligi queunt; aut enim ad privata Oratoria applicantur, et sustineri nequeunt: aut ad semipublica et nimiam praeseferunt obscuritatem. *Sustineri nequeunt;* quia ad privata Oratoria, ex iure communi, nulli, praeter quam privilegiatis, convenire personae licet pro audiendo Sacro in satisfactionem praecepti, ut si conveniat, non satisfaciat. Multoque minus id licebit cuicumque fidelium coetui, de quo Decretum agit, et explicat per fidelium numerum. *Nimiam praeseferunt obscuritatem;* nam qui fieri potest ut ius erigendi Oratorium acquirat Episcopus, si in eodem Oratorio aliquis conveniat fidelium numerus? Si nondum erectum est, fideles in eo convenire certe nequeunt: si autem erectum iam est, quomodo acquirere potest Episcopus ius illud erigendi? Insuper, si Oratorium est semipublicum, eadem ut supra redit argumentatio: si autem est privatum, Episcopus nil iuris habet super illo, neque quod erectionem, neque quod Missae celebrationem attinet, si casum ad summum necessitatis excipias, sed pertinet omnino ad Sedem Apostolicam, uti expositum est superius.

5. Itaque sensus Decreti in *Romana* sequens est: Quando agitur de Oratorio aliquo, *non privato, sed semipublico,* sit Seminariorum, sit Collegiorum, Piorum Institutorum vel Societatum etsi votorum simplicium, aliarumve Communitatum viventium sub regula a Sancta Sede aut saltem ab Ordinario loci approbata, sit domorum spiritualibus Exercitiis addictarum, sit Convictuum, vel Hospitiorum, quae iuventuti instituendae literis, scientiis aut artibus sint destinata, sit Nosocomiorum, Orphanotrophiorum, Arcium, Carcerum, sit Coemeterio-

rum, aut de alio quocumque simili Oratorio *semipublico, in quo ex instituto aliquis Christifidelium coetus, vel quicumque alii fideles*, loci Domini Episcopique facultate suppositis, *conveniant* pro audienda Missa, ut adimpleant praecepto, hi revera satisfaciunt.

6. Ut rationem authenticae interpretationis Decreti lectores capiant, sequentia notabimus: *a*) Auctores antiqui de Oratoriis disserentes, quos inter Gatticum principem facile dices, circa Oratoria semipublica vix aliquid innuebant, re inspecta, haud nomine, quo generaliter non utebantur. *b*) S. R. Congregationi expositum fuit, aliquid super his determinari, satis esse opportunum aetate nostra, utile ac propemodum necessarium, cum fere in infinitum, maxime in Urbe, multiplicata fuissent Oratoria Communitatum, privilegiis Tridentinae Synodi non fruentium. *c*) Aliunde in his Communitatum Oratoriis saepe saepius Missae assistebant, etiam diebus festivis, parentes puellarum, vel adolescentium, qui ibi instituebantur; verum an satisfacerent, an non, praedicti parentes, uti alii quoque consanguinei, satis erat incertum. Imo communiter tenebatur, eos non satisfacere, nisi ex peculiari indulto; hinc inordinatio, cum difficilius induci ii possent ad aliam Missam audiendam. *d*) Ceterum, cum dicta Oratoria neque privata stricto sensu, neque publica dici possent, postulabat necessitas, ut quomodo consideranda essent S. R. C. definiret. Hinc per Decretum gen. 4007 summa perspicuitate declaratum est, quale sit Oratorium privatum, quale publicum, quale peculiariter semipublicum. *e*) Hinc et declarata sunt Ordinariorum super his ultimis Oratoriis iura, sive quod eorum erectionem, sive quod attinet Missae in iis celebrationem.

7. Cum autem Oratoria semipublica ad Communitates pertineant sive ecclesiasticas sive laicales, et S. R. C. in gen. Decreto 4007 edixerit, in iis ad audiendam Missam aliquem fidelium coetum de more convenire; dubium exortum est, an non solum aliquis coetus fidelium Missam in iis pro satisfactione audire posset, sed alii quicumque fideles. Et S. Tribunal affirmative respondet per praesens Decretum, hoc est: In quocumque Oratorio semipublico auctoritate Ordinarii rite constructo, et ab eodem Ordinario potestate facta inibi celebrandi Missas, quicumque fideles eidem Missae assistant diebus festivis, praecepto Ecclesiae satisfaciunt.

Addit tamen Decretum in *Romana: assentiente domino loci, et auctoritate Ordinarii interveniente:* quia non de privatis agitur, in quibus pro satisfactione, neque assensus domini loci, neque interventus auctoritatis Ordinarii ad satisfactionem proficeret; quia non est quaestio de publicis, in quibus audientes Missam nulla vel privatae vel publicae personae facultate indigent, ut satisfacere valeant. Quia, denique, agitur de Oratoriis semipublicis, quae ad coetum particularem personarum seu ad Communitatum pertinent; requiritur ergo et superioris seu domini loci facultas, ut interveniant fideles: requiritur

etiam facultas Ordinarii, qui totius Communitatis Superior est ex sui muneris natura. Huius autem utriusque dispositionis ratio nullo negotio intelligitur, ad vitandas scilicet inordinationes et arbitria praecavenda.

Haec satis esse credimus: si quid aliud adm. Rev. Consulens desiderat, oramus, ut peculiare velit Dubium proponere, cui, quantum ex nobis est, faciemus satis.

II.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

R. P. Franciscus a Vallio, redactor Kalendarii Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Provinciae S. Fidelis, Pagi Ticinensis, de consensu sui adm. R. P. Ministri Provincialis ac R.mi P. Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum resolutionem humillime expostulavit, nimirum:

I. Sacerdotes Ritus Romani celebrantes in Ecclesiis Ritus Ambrosiani, quodnam Kalendarium sequi debent?

II. Ipsi Sacerdotes, celebrantes aliqua vice Missam Parochialem in iisdem Ecclesiis, sequi debent Kalendarium et Ritum Ambrosianum, aut Kalendarium et Ritum Romanum?

III. Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur: An hoc valeat etiam pro Regularibus, qui ex praecepto gravi Constitutionum tenentur ad Ritum Romanum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Li-

turgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Servent Kalendarium Ritus Romani Dioeceseos, dummodo diebus solemnioribus localibus, ex. gr. Titulus vel Dedicatio Ecclesiae, Patronus praecipuus loci etc., se conforment quoad colorem et Missam Kalendario Ecclesiae, in qua Sacrum faciunt.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative* in casu.

Atque ita rescripsit, die 10 Ianuarii 1902. [1]

D. Card. FERRATA *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

[1] Hoc Decreto robur accipiunt quae alias diximus (n. 8-9 anni elapsi, pag. 513, n. X.) pro casu simili.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE LECTIONIBUS I NOCTURNI

(Decr. S.R. C. 2319, Tit. XXV ad 2: 3767 ad 8: 2319, Rel. Dub. ad 17: 3923).

Annibal Beneficiatus saepius mirari cogitur diversitatem Lectionum I Nocturni in officio pro iisdem Sanctis Confessoribus, quamvis in iisdem eorum festa versentur conditionibus. Ita ex. gr. pro S. Hilario Conf. et Eccl. Doctore, tempore Quadragesimae assignato, quamvis alio tempore recolatur, notatas in altero calendario videt Lectiones *de Scriptura occurrente*, et legit in altero Lectiones *de Sapientia*; cum tamen festum et ritu in utroque conveniat, et eodem tempore occurrat. Item pro S. Raymundo de Pennafort, in Quadragesimam translato, haud semel notatas vidit Lectiones in I Nocturno *Iustus* in eodem calendario, dum vidit in altero *Beatus vir* notatas. Denique nullam carpit in iisdem calendariis conformitatem, aliquibus abhinc annis, in Lectionibus I Nocturni, circa plura Confessorum officia, quae duplicia minora cum essent, a duobus circiter lustris ad duplex maius evecta fuerunt. Namque dicti Nocturni Lectiones, quae antea notabantur *de Communi*, in uno calendario intactae permanserunt, in alio vero mutatae sunt

omnes in alias *de Scriptura*, uti ante fieri consueverat, quando sub ritu duplici minori recolebantur. Quorum omnium singulorumque rationem a duobus calendariorum ordinatoribus exquirens, pro responso habet, a diversa id Decretorum interpretatione derivare. Hinc secum *quaerit:*

1. Quibus de causis consueverit Latina Ecclesia in Officio, maxime pro I Nocturno, Lectiones de Sacra Scriptura inserere? Quid de Graeca dicendum?

2. Quaenam sit norma e primis duobus Decretis, quae citata sunt, apprime expositis, eruenda pro praxi quod lectiones pertinet I Nocturni, prout in casu, aliisque similibus?

3. Quaenam sit recta interpretatio Decreti, ultimo loco citati, et num probanda sit vel reiicienda diversa interpretationis ratio?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. DECII BOTTI, **Pontificii Seminarii Rom. alunni habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 13 Novembris 1901; acta epitome per R.mum Dom.** PHILIPPUMM. **Can.** DIFAVA **S. R. C. Substitutum.**

I. Quibus de causis consueverit Latina Ecclesia in Officio, maxime pro I Nocturno, Lectiones de Sacra Scriptura inserere? Quid de Graeca dicendum?

Officium canonicum, cuius Breviarium Romanum S. Pii V est recentioris aevi instauratio, a septimo usque saeculo, aut ab octavi initio originem ducit. Nemini tamen persuasum erit, illud in singulis suis partibus, uno eodemque die creatum fuisse ab aliquo magno Pontifice, cuius forte

ad nos usque nomen haud pervenit. Est quinimo opus *compositum*, iuxta strictiorem significationem vocis. Quotquot diversae lapsae sunt aetates, suam illi operam contulerunt: ex variis, quibus ipsum constitit partibus, nonnullae satis venerunt e longinquo. Septimum saeculum nonnisi historicum momentum considerandum est, quo sensim peracta evolutio ad altiorem pervenit apicem. Praecedunt revera quinque saecula, quibus archaismi nomen convenire putamus; alterum saeculum, sextum, proximioris praeparationis; et tandem ad aetatem auream pervenitur, saeculum nempe septimum et octavum, quibus, in Basilica S. Petri hic ordo psallendi romanus invectus est, qui, monachis anglo-saxonibus auctoribus, Ordini benedictino praevaluit, et sub Principibus carolingis de ordine gallicano triumphum reportavit, et ad canonem constituendum christianae latinitatis pervenit.

Fere impossibile absolute foret, et frustra, quod nostra nunc interest, laboraremus, si vel breviter analysim instituere velimus huius historicae evolutionis *officii canonici romani*. Attamen, quod necessarium ducimus ad primae quaestioni reponendum, breviori calamo loquemur de usu lectionis sacrae Scripturae, praesertim in his prioribus septem saeculis, in officio.

Mos sacrae Scripturae legendi post nocturnam psalmodiam, proprium diu fuit nocturni dominicalis et stationalis. Equidem schema vigiliarum dominicalium tria diversa continebat exercitia: *psalmodiam*, *lectionem Sacrae Scripturae*, et tandem *Orationes* seu *Collectas*. Tertullianus, de solemnitatibus dominicalibus agens, haec tria distinguit elementa, dicens: " In Ecclesia, inter dominica solemnia .... psalmi canuntur...., *Scripturae leguntur*, ... petitiones delegantur (*De anima*, 2). Officium tamen *vigiliale*, proprium ab initio solemnitatis dominicae, in solemnitatibus festorum Martyrum cito introductum fuit. Unumquodque anniversarium (natalis) Martyrum, solemnitatem imitatum est diei domini-

cae, cum Synaxi liturgica, eam praeveniente vigilia, quae *cœtus antelucanus* dicebatur (De Rossi, *Roma sotterranea*, T. III, pag. 488). Antiquitas huiusmodi anniversariorum documento comprobatur anni 155, videlicet epistola encyclica fidelium Smyrnensium, martyrium S. Polycarpi annuntiante, in qua iam in usum deductum legimus, morem natalem Martyris celebrandi, in loco ubi eius corpus quiescebat (Patr. gr. *Migne*, T. V., pag. 1043).

Sed dominici dies et anniversaria Martyrum non unicae erant solemnitates, quas in veteri Ecclesia vigiliae nocturnae, *nocturnae convoctiones* (prout eas vocat Tertullianus, *ad uxor. II, 4*), praeveniebant: iampridem adiecti inveniuntur *stationum* dies. *Doctrina Apostolorum*, sub fine I saeculi, iam illorum meminit, prout et *Pastor Hermae*, saeculi II initio, qui primus nomen *stationis* inducit.

Hi dies praeterquam cum ieiunio, celebrabantur conventibus ad cultum, qui alicubi liturgia proprie dicta explicabatur, alibi ceteris omnibus consuetis ritibus, absque tamen mysteriorum celebratione (Duchesne, *Origines*, p. 220). Habebantur igitur antiquitus in Ecclesia: vigiliae dominicales, vigiliae stationales, vigiliae coemeteriales, et in liturgia *euchologica* cuiusque earum, lectiones sacrae Scripturae potissimam partem habebant.

Nullum invenitur alterius synaxis euchologicae vestigium in literatura priorum trium saeculorum. Saeculo IV ineunte invenitur publicae orationis novus modus, constitutis in omnibus Orientis Ecclesiis Ascetis et Virginibus (*Monozontes* et *Parthenae*), quorum opera quotidianae vigiliae seu feriales incoepere. Eiusmodi institutio, celebrandi *privatas dies*, Mediolani quoque eo temporis introducta, nonnisi saeculo V Romae usuvenit. Feriale officium tamen psalmis tantummodo constabat, antiphonis, responsoriis et precibus. Lectiones sacrae Scripturae, de quibus supra, in feriali officio, saeculo VII tantum, locum invenerunt.

Primum dari posse videtur quaestioni responsum, historia adiuvante, asserendo, Ecclesiam, suis in officiis, actionem Scripturae inseruisse, ut traditiones continuaret liturgiae iudaicae. Christiana religio, prout et cetera Dei opera, inter creata, locum habens in tempore et in spatio, obedire legi debuit continuitatis, ideoque inveniri nexum oportet inter mores veteris legitimae religionis et novae, et quod maxime nostro in casu interest, Liturgia christiana a iudaica magna ex parte derivare dicenda est, illius continuationem efformans. Observat cl. Duchesne, nostrum cultum, qui potissimum ad Liturgiam proprie dictam, ad Missam videlicet, reducitur, plurimum ex hebraico cultu accepisse, sed non quatenus sub sacrificii forma in templo exercebatur, verum quatenus sub forma piarum precum in Synagogis florebat (*Les Origines*, pag. 45). Synagogae, non sacrificiis et oblationibus, sed tantum orationi in communi, et lectioni sacrorum librorum, *Legis* prius, et deinde *Prophetarum*, ceterarumque Scripturarum, destinabantur. Praeter lectionem, cantus habebantur, quibus materiam suppeditabat Psalterium. Locus quoque dabatur *Midrash*, homiliae videlicet super S. Scriptura. Hisce quatuor elementis usa est christiana Ecclesia in suis officiis, libros adiiciens Novi Testamenti, ac praecipue Evangelium.

Huic rationi historicae, alteram adiungere possumus ordinis, ut ita dicamus, oeconomici. Cum enim sacra Scriptura una cum Traditione, fons sint divinae revelationis, semper curae fuit Ecclesiae, ut divinorum librorum notitia inter fideles magis magisque diffunderetur. Nunc vero nullus aptior modus, ad id obtinendum, quam S. Liturgia. Et adeo Ecclesiae cordi fuit S. Scripturae distributio, quasi in cibum fidelium spiritalem, ut, cum medio saeculo octavo caeptum est officium fieri de Sanctis, feriale officium cum suis Lectionibus de *scriptura occurrente*, integrum remansit, et officium de Sanctis tamquam addititium consideratum est,

prout nunc nos, exempli gratia, officium defunctorum alteri omnium Sanctorum adiicimus, in Commemoratione solemni diei 2 Novembris. Et quamvis pluribus in locis, feriale officium totaliter evanuerit, Romae tamen, adhuc saeculo XII primaevus vigebat mos, teste Amalario (*De ord. antiph.* 59, 60). Post saeculum tantum XIII, Romae quoque nova ratio officii persolvendi invecta est, ferialis officii aliquo tantum remanente vestigio, quod nomen cohonestat modo etiam usitatum, officii ritus duplicis, vel semiduplicis, persistentibus scilicet Lectionibus *de Scriptura* in officio Sanctorum.

Ceterum Ecclesiae mens semper eadem fuit, ut numquam sibi proposuerit divinum officium transmutare in studium sacrarum Scripturarum, sed illius indolem eminenter liturgicam retinens, quotidianam S. Scripturae recitationem adhibuit, uti subsidium peraptum ad divinas revelatas veritates in mente fidelium vivas retinendas.

Hinc factum est, ut, introductis, saeculo XI, privata, ut plurimum, auctoritate, libris *nocturnalibus*, vel *matutinalibus*, et serius *breviariis* seu *epitomalibus*, et in deterius antiquo officio prolapso, constituerit Ecclesia auctoritate sua providere. Leonis X et Clementis VII conatibus haud prospere succedentibus, Episcopi Ferrerii et Cardinalis Quignonez laboribus nimis ab Ecclesiae spiritu aberrantibus, Concilium Tridentinum, altero iam ab initio repudiato, huius ultimi Breviarium penitus abolevit, et salvis opportunis modificationibus, divinum officium ad pristinum reduxit *ordinem romanum*.

Cur autem in ultima Breviarii reformatione voluerit Ecclesia Lectionibus Scripturae occurrentibus locum in I Nocturno assignare, praeter quam congruentiae rationibus, historicis momentis explicatur. Vidimus reipsa, officis Sanctorum introductis, primitus Officium feriale cum suis Lectionibus intactum permansisse et primas semper habuisse; unde illius tantum vestigio remanente fusis officiis, necesse

erat ut primas semper illae Lectiones haberent, quae illud repraesentare debebant.

Quid vero de Ecclesia graeca dicendum? Quod hactenus dictum est, circa usum Lectionum S. Scripturae in Liturgia romanae Ecclesiae, a fortiori videntur dici posse de earumdem usu in Ecclesiis orientalibus. Hae nimirum Ecclesiae, iam a primaeva, qua maxime floruerunt, origine, plures usus, suae dogmaticae et morali disciplinae convenientes in christianum cultum introduxerunt, maiori cum facilitate, quam in Ecclesis occidentis fieri potuerit. Hoc autem ipsum factum demonstrat, quod nempe latissime pateret usus lectionis S. Scripturae in earumdem Ecclesiarum Liturgia.

In quibusdam autem nunc, in primis duabus stationibus (de tribus quibus matutinum constat) aliquando desunt Lectiones de Scriptura, retento hac de ratione antiquo more officiorum ferialium, saeculo IV introducto, cum solis antiphonis, psalmis et versiculis. Verumtamen nil officit id veritati expositae superius doctrinae, super causis, quae Ecclesiae suaserunt introductionem Lectionum Scripturalium in officio; etenim hic Lectionum defectus in duabus stationibus orientalis officii, quippe qui ex ordinationibus posterioribus procedit, non est generalis pro cunctis Ecclesiis, neque pro omnibus officiis, et de cetero satis suppletur introductione lectionis S. Scripturae in aliquibus Horis minoribus.

II. Quaeritur secundo: Quaenam sint normae e primis duobus Decretis, quae citata sunt, apprime expositis, eruenda pro praxi quod Lectiones pertinet I Nocturni, prout in casu, aliisque similibus?

Decretum **2119,** *Tit. XXV, 2* ita respondet sequenti dubio: in una *Einsiedlen.*: " An in festo S. Ioannis Chrysostomi universaliter in primo nocturno legendae sint lectiones *Sapientiam etc.*, de doctoribus, etiam extra Quadragesimam? — die 5 Maii 1736 *Servetur Rubrica Breviarii*

Romani et extra Quadragesimam dicantur lectiones de Scriptura occurrente: intra Quadragesimam vero recitentur lectiones de Communi doctorum „. Aliud decretum n. **3767**, ad 8, in una *Calaguritana et Calceaten.*, ad dubium: " Quoad Lectiones I Nocturni in officio S. Dominici Silensis et S. Nicolai Factoris quidnam recte est tenendum? „. E S. Congregatio, decreto diei 15 Februarii 1892, ita respondit: " *Utroque in casu legantur Lectiones communes vel primi vel secundi loci, habita ratione ad aetatem.* „ Insuper Decretum sequens, pro recta solutione quaesitus necessario consulendum, ita se habet (*Einsiedlen.* n. **2319**, *Reliqua Dubia*, ad 17): " Quaeritur: quae lectiones I Noct. sint legendae in festo S. Alexii? „ Et S. Congregatio eadem die 5 Maii 1736 statuit: " *Omnino de communi, et quae positae sunt primo loco, nisi aliae sunt in eodem communi quae magis sint accommodatae virtutibus et rebus gestis Sanctorum de quibus ea die fit officium.*

Ex primo decreto interea hoc erui datur: si festa quorumdam Doctorum Ecclesiae extra tempus quadragesimale occurrunt, Lectiones I Nocturni esse debent de *Scriptura occurrente,* sin vero in quadragesima incidunt, cum non habeantur tunc Lectiones pro I Nocturno de Scriptura, sumendae erunt de communi Doctorum. Unde in factispecie casus propositi, in festo S. Hilarii tempore quadragesimali occurrente, Lectiones esse debent de communi Doctorum: si extra id tempus, de Scriptura. Error igitur fuit kalendaristae, quod alicubi assignatae invenirentur Lectiones de Sapientia extra Quadragesimam. Hinc in una *Cong.nis CC. RR. Excalceat. SS. Crucis et Passionis Domini D. N. I. C.*, ad dubium: " In officio S. Hilarii Ep. conf. et Eccles. Doct. Lectiones I Nocturni sintne de Scriptura occurrente; an de communi Doctorum: *Sapientiam?* „ S. Cong.tio respondit, die 9 Maii 1884, decr. **3607**: " Lectiones I Nocturni sunt de Scriptura occurrente „: nempe eodem festo extra Quadragesimam incidente: intra Quadragesimam vero, Lectiones de Sapientia.

Ex altero Decreto, **3767**; hoc eruitur: quando pro aliquo Sancto Confessore assignari debent Lectiones I Nocturni de communi, vel quia eius festum incidit die Lectionibus de Scriptura carente (Quadrages., Quat. Temp....): vel quia sit de illis festis, quibus assignantur Lectiones de communi, hae recitari debent de primo aut de secundo loco, iuxta aetatem; scilicet: Lectiones de 1° loco *Iustus*, pro Sanctis immatura aetate defunctis, de 2° loco *Beatus vir*, pro Sanctis provectam aetatem adeptis. Ex alio demum decreto, n. **2319**, nova exurgit ratio ad Lectiones de communi I Nocturni ex 1° aut 2° loco sumendas: assignentur nempe illae, quae magis sint accommodatae virtutibus et rebus gestis Sanctorum. Unde S. Cong.tio statuebat, pro S. Alexio, ubi concessae fuerint Lectiones de communi, quamvis Sanctus maturam aetatem attigerit, debere nihilominus legi de 1° loco, quippe quae magis humilitati et contemptui illius vitae accommodentur.

Nunc ad casum propositum nos referentes, quaerimus: quomodo pro officio S. Raymundi de Pennafort ad Quadragesimam translato, in uno Kalendario assignantur Lectiones 2° loci *Beatus vir*, et in alio Lectiones 1° loci *Iustus?* Ante omnia notandum est, Lectiones 1° loci pro S. Raymundo haud perfecte accommodari posse rebus ab eo gestis, cum vitam inter mundi honores transegisset, quos, quamvis in corde suo aspernatus fuerit, tamen in iis versatus est. Multo minus autem Lectiones 1i loci suae conveniunt aetati, cum prope centenarius obierit. Quomodo ergo error alterius ordinatoris Kalendarii explicari valet? Haud difficilis responsio. In antiqua Decretorum S. R. Cong.nis Collectione, sub num. **4746**, legebatur: " Iuxta Rubricas Breviarii, *Tit. XXVI, n. 9,* Lectiones de Scriptura positae in communi Sanctorum leguntur, quando aliquod festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima etc., an (posito quod non assignentur in Proprio Sanctorum) semper sumendae sunt de Communi 1 loco? et quatenus *negative*, an pro lubito sumantur

in 1 vel 2 loco? vel quandonam? signanter si festum S. *Raymundi de Pennafort* transferatur in Quadragesimam, an Lectiones I Nocturni dicendae sint *Beatus vir*, an *Iustus si morte?* „ Et S. Congregatio, Decreto dato 23 Martii 1835, in una *Namurcensi*, ad 4, respondebat: *Regula in casu desumatur ex Lectionibus III Nocturni.* „ Ex hoc igitur Decreto, non amplius in suo robore existente, deceptus Kalendarii Moderator, cum vidisset in Breviario pro Lectionibus III Nocturni, in casu, assignatas illas de 1 loco, de eodem loco sumpsit et Lectiones I Nocturni; dum novissimis Decretis inhaerendo debuisset, ut vidimus, assignare Lectiones de 2 loco.

III. Quaenam sit recta interpretatio Decreti ultimo loco citati, et num probanda sit vel reiicienda diversa interpretationis ratio?

Decretum ultimo citatum, quod est **3923** novae Collectionis, in una *Plurium Dioecesium*, datum die 30 Iun. 1896, his est verbis exaratum: " Cum S. R. C. expetita fuerit a plurium Dioecesium Episcopis, num attenta multiplicatione officiorum, quae sub ritu duplici maiori conceduntur, expediat adhuc in dictis officiis legere Lectiones I Nocturni de Communi Sanctorum, nisi propriae habeantur, pro Scriptura occurrente; Sacra eadem Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque maturius perpensa, respondendum censuit: Praesentibus rerum adiunctis inspectis, Lectiones I Nocturni proprias vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro duplicibus I vel II classis; illis tamen Lectionibus exceptis, quae approbatae iam fuerint, vel in Breviario habeantur pro duplicibus seu maioribus seu etiam minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adiunctis S. R. C. approbare deinceps censuerit. „

Ex hoc Decreto licet ergo inferre: 1. In festis duplicibus I vel II classis, dici debere Lectiones I Nocturni aut proprias, aut de Communi Sanctorum: 2. In omnibus aliis

ritus duplicis maioris vel minoris, locum habere Lectiones I Nocturni proprias, aut de Communi Sanctorum, illa tantum, festa quibus iam in Breviario ita assignatae fuerunt, vel ante diem 30 Iunii 1896 approbatae, vel tandem illa pro quibus, specialibus ex causis, Sacra Congregatio approbandas exinde censuerit.

Inspiciendum nunc quomodo duo Kalendarii Moderatores Decretum hocce applicaverint ad casum. Primus Lectiones I Nocturni, quae de Communi legebantur, cum festa ritu potiebantur duplicis minoris, intactas reliquit etiam cum ad ritum duplicis maioris evecta sunt. Huc agendi ratio cum Decreto apprime convenit, agitur enim de festo iam ante annum 1896 Lectionibus de Communi fruente. Alter vero haud recte se gessit, non enim iuxta Decreti normam egit, quod non arbitrio remisit mutationem inducere vel res *in statu quo* relinquere; unde cum iam antea Lectiones de Communi pro festis ritus duplicis maioris haberentur, immutatas eas remanere fas erat post praefatum Decretum.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

VOLUMEN SECUNDUM

TITULUS X.

De Translatione Festorum (349).

N. 1.

Si aliquod festum duplex (350) occurrat (351) in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive (352) in Vigilia et festo Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in festo ac tota octava Epiphaniae (353) in feria quarta Cinerum, in tota maiori Hebdomada et infra octavam Paschae (354), in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad festum Sanctissimae Trinitatis inclusive, in festo Corporis Christi et eius die octava, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, in festis Immaculatae Conceptionis, Annunciationis (355) et Assumptionis B. Mariae Virginis, in Nativitate S. Ioannis Baptistae, in festo S. Ioseph Sponsi eiusdem Beatae Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli (356) ac Omnium Sanctorum, transferatur (357) in

primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam (358); exceptis tamen festis S. Ioannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quae in die Octava Corporis Christi et festo Sacratissimi Cordis Iesu celebrantur (359); excepto quoque festo quocumque solemni alicuius loci (360), quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens scilicet in Dominicis secunda, tertia, quarta Adventus et Quadragesimae, Domininica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae (361), et diebus infra Octavam Epiphaniae (362), ut in rubrica de commemoratione dictum est, celebratur, et excepto festo primario (363) solemni occurrente in festo SS. Cordis Iesu (364). Si autem festum Purificationis B. Mariae Virginis venerit in aliqua Dominica secundae classis, transfertur in Feriam secundam sequentem quamvis impeditam (365). Item si festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem cum commemoratione Octavae (366); et in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio S. Ioannis (367): sequentibus autem diebus fit officium de eadem Octava Corporis Christi cum commemoratione Octavae S. Ioannis (368). Dies autem Octava S. Ioannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavae Corporis Christi (369); et id semper servetur, quando festum habens Octavam transfertur; ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat Octava,

si festum non fuisset translatum (370). Quod si festum per totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava (371), nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat (372). Festa tamen duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesiae doctorum, si occursu Dominicae (373) vel maioris festi seu Officii (374) quomodocumque impediatur, non transferuntur (375), sed ipso die quo cadunt de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio (376), et legitur nona lectio historica ad Matutinum (377), si tamen eo die fieri possint (378); secus huiusmodi festa duplicia minora eo anno penitus omittuntur, ut in praecedenti Rubrica dictum est, n. 7 et 10 (379), et infra de simplici dicetur n. 8 (380). Iisdem comprehenduntur regulis alia festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest (381).

Festa tamen duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiae, si quotannis a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera, tamquam in sede propria perpetuo recolenda (382).

---

(349) De Translatione Festorum.

Titulus hic decimus agit de translatione festorum; cum autem Rubrica nondum aliquid dixerit de hac voce " *translatio* „, quid sibi velit hic nobis declarandum est.

Quia vero breviter hanc rem tractare nequimus, oportet enim sensum liturgicum plurium vocum determinare, ad evitandas aequivocationes, quae plures quaestiones huc-

usque genuerunt, hanc notam 349 in varios paragraphos distinguimus pro maiore perspicuitate.

§. 1. — De origine festorum.

Iam a primis saeculis christianis, statis diebus per annum, consuevit Ecclesia memoriam agere sive mysteriorum vitae et passionis D. N. I. C., sive B. Mariae Virginis sive Sanctorum martyrii.

In seligendis autem hisce diebus, in quibus memoria illorum erat celebranda sancti patres nostri ex rerum natura ducti illos dies statuerunt, in quibus vel mysteria ipsa impleta fuerant, vel Sancti ex hac vita decesserant.

Super hoc praeclarum testem habemus S. Cyprianum Carthaginensium Episcopum, qui saeculo III floruit, in epistola 37, quam dedit ad diaconos suae Ecclesiae; scribit enim: *Denique et dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.*

Etiam S. Ioannes Chrysostomus in homilia 26 super Epistolam II ad Corinthios dicit: *Dic mihi, ubi sepulchrum est Alexandri illius magni? Ostende mihi, et dic qua die mortuus est? At vero servorum Christi vel monumenta ipsa sunt illustria, quae regiam et dominam omnium civitatem obtinuerunt; tam mortis illorum dies noti sunt omnibus, qui festi per totum orbem aguntur.*

Ceterum, quisquis libros evolvit Bosii, Boldetti, Zaccariae, de antiquis; Garrucci, De Rossi et Marucchi, ex recentibus, facile invenerit in romanis catacumbis diem obitus Martyrum in epitaphiis saepissime notatum fuisse; rarius annus signabatur, quem nomina consulum aliquando indicant; communiter vero fit mentio de die et mense in quo Martyr occubuit.

Unum ex his epitaphiis recenter inventum in crypta S. Agnetis, sic legitur:

SECVNDINVS

DEP[ositus] TERTIO KALENDAS AVG[usti] (1).

Inter alia documenta antiquitatis christianae, de festi, primis saeculis celebratis, omnium pretiosissimum est illuds quod Archaeologi vocant *Catalogum Filocalianum*, eo quod scripsit et decoravit Furius Dionysius Filocalus calligraphus, qui floruit sub Liberio et Damaso pontificibus, (336-354). Hunc catalogum publicavit ex Bollandistis P. Bucherius, in eoque, ex. gr. legimus:

prid. Kal. Ianuar. Silvestri in Priscillae.

. . . . . .

non. Octob. Marci in Balbinae.....

. . . . . .

XIII Kal. Feb. Fabiani in Calisti et Sebastiani in Catacumbas.

XII Kal. Feb. Agnetis in Nomentana.

. . . . . .

VIII Kal. Mart. natale Petri de Cathedra.

. . . . . .

III Kal. Iul. Petri in Catacumbas et Pauli Ostiense.

. . . . . .

III id. Aug. Laurenti in Tiburtina.

Item in Martyrologio Hieronymiano, a PP. Bollandistis recenter edito, signantur festa Domini et B. Mariae Virg. ac Sanctorum iisdem diebus, quibus adhuc recoluntur.

Quodcumque festum ergo suum proprium diem habebat et habet, et nunquam a sua sede amovendum esset, nisi aliquando alia festa incidentia in eamdem diem illud impedirent.

§. 2. — De causis translationis festorum.

Si annus diebus constaret numero 364, et festum Paschatis in quadam fixa die quotannis celebraretur, dies do-

(1) ARMELLINI, *Il cimitero di S. Agnese*, pag. 424.

minici nunquam mutarent sedem in mense, et festa tam solemnissima quam minoris solemnitatis quotannis sua die recolerentur, ideoque nunquam opus esset officia transferre. Cum vero annus dies 365 habeat, et si bissextilis 366, necessario dies dominica, quae unaquaque hebdomada succedit, omnibus annis mutat sedem in diebus mensis. Insuper, cum festum Paschatis, e quo pendent cetera festa mobilia, a Septuagesima usque ad festum Corporis Christi, ex Nicaeno concilio celebrandum sit dominica die, quae proxime succedit XIV Lunae mensis Martii, necessario infra annum intervenit, ut nonnulla festa diebus mensis affixa simul incidant in eamdem diem, cum aliis festis mobilibus.

Ex. gr. dies 24 Februarii in calendario Filocaliano, et etiam nunc, assignatur ut sedes fixa S. Mathiae Apostoli, et hoc anno eadem die 24 Februarii accidit Dominica I Quadragesimae; cum autem unum tantum ex his duobus officiis celebrari debeat, aliud opus est *transferre*, et in casu nostro transfertur S. Mathias. Hinc Rubricae tradere debuerunt regulas huius festorum *translationis*.

Nihilominus, non tantum datur locus translationi festorum, ob mutabilitatem sedis diei dominicae in mense, et ob mobilitatem Paschatis, sed etiam ob celebrationem festorum particularis alicuius Ecclesiae, quae obveniunt in eadem die, in qua universalis Ecclesia aliud festum celebrat.

Ex. gr., die 6 Augusti in calendario universali agitur festum Transfigurationis Domini, et commemoratio S. Xysti II Pont. Martyris; cum autem in Ecclesia dicata eidem S. Xysto eius festum, uti titularis, solemniter sit celebrandum, memoria Transfigurationis in diem 9 transfertur recolenda in ipsa S. Xysti Ecclesia. Duabus ergo de causis transferuntur festa: vel ob alia festa mobilia, *accidentaliter* eo anno eadem die obvenientia, vel ob alia festa fixa quotannis eadem die *perpetuo* incidentia.

§. 3. — De impedimentis accidentali et perpetuo festorum.

Ex dictis liquido profluit, nonnulla festa impediri, quominus celebrentur in sua die, propter adventum alterius festi mobilis; nonnulla alia impediri quotannis, quia in eamdem diem duo festa incidunt celebranda. Primum dicitur *impedimentum accidentale*, sive temporaneum, accidit enim eo anno; aliud dicitur *impedimentum perpetuum*, eo quod quotannis obveniret, nisi unum ex duobus festis alia die celebraretur.

In duobus allatis exemplis, memoria S. Mathiae ob *impedimentum accidentale* Dominicae I Quadragesimae, hoc anno celebrata fuit in alia die non sua; sed anno proximo, uti patet, deficiente impedimento, in sua die 24 Februarii celebrabitur.

Memoria vero Transfigurationis Domini, ut in exemplo secundo, pro Ecclesia S. Xysti ob impedimentum *perpetuum* ipsius Sancti Titularis, non hoc anno tantum, sed quotannis celebrabitur alia die.

Quapropter, sicut dantur duo impedimenta, accidentale unum, perpetuum aliud, item dantur duae species translationis: translatio *accidentalis* et translatio *perpetua*. Prima uti patet, oritur ex conflictu duorum officiorum, quorum unum fixum, mobile aliud; secunda oritur ex conflictu duorum festorum quae in unam eamdemque diem fixa incidunt.

Quoniam vero, uti videbimus infra, non parum differunt leges translationis *accidentalis*, et leges translationis *perpetuae*, opportunum doctoribus liturgicis, visum est in gratiam maioris perspicuitatis, retinere vocem *translationis*, *transferre* et officii *translati*, quando agitur de accidentali; quando autem agitur de perpetua translatione, haec vocata fuit *mutatio festi*, *assignatio* vel *repositio officii*.

§. 4. — De festis mobilibus et festis fixis.

Ex iis, quae § praecedenti declaravimus, liquido profluit, dari duas species festorum; festa *mobilia* et festa immobilia seu *fixa*. Dicuntur *mobilia* festa illa, quae stabilem sedem in die mensis et anni non habent, uti Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi, quae unoquoque anno mutant diem in qua celebrantur; *fixa* dicuntur ea, quae stabilem sedem habent in die determinata alicuius mensis, uti ex. gr. Nativitas, Circumcisio et Epiphania Domini, quae perpetuo incidunt respective in dies 25 Decembris, 1 et 6 Ianuarii; Immaculata Conceptio, Nativitas et Assumptio B. Mariae V., quae pariter semper incidunt in dies 8 Decembris, 8 Septembris et 15 Augusti; et sic dicatur de ceteris festis Sanctorum.

Haec festa fixa, ita in sua quaque die determinata, in calendario assignantur, ut pro mutatione sive sedis in qua celebratur Pascha, sive litterae dominicalis, semper affixa remaneant in propria die.

Mobilia festa alia pendent a sede solemnitatis Paschalis, ut sunt Dominicae a Septuagesima usque ad Corpus Domini, quorum cyclus mutatur iuxta mutationem lunae XIV Mensis Martii; alia vero pendent a mobilitate litterae dominicalis, ac proinde, licet non habeant stabilem sedem in determinata die mensis, nihilominus cyclus eorum mutationis constringitur in hebdomada dierum, eo quod assignantur in aliqua Dominica mensis celebranda, uti sunt ex. gr. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., VII Dolorum B. M. V., etc.

Festa huiusmodi, quae a mobilitate sedis diei dominicae dependent, lato sensu mobilia ergo dicuntur; quia licet non assignentur diei mensis determinatae, ideoque vere *fixa* dici nequeant, aliquo modo fixa sunt, eo quod in tali Do-

minica assignantur. Hinc, stricte loquendo, ita est fixum festum S. Francisci die 4 Octobris, sicut est fixum festum SS. Rosarii Dominica I eiusdem mensis.

§. 5. — Inter festum et officium distinctio.

Non casualiter hic usi sumus verbis: *mutatio festi* et, *assignatio officii;* aliud enim est *festum* et aliud *officium.*

Festum dicitur dies illa ab Ecclesia selecta, ut cultu liturgico memoria recolatur alicuius mysterii vitae Domini nostri, vel B. Mariae, vel alicuius Sancti solemniter vel non solemniter; hinc ex. gr. die 1 Ianuarii agi dicitur *festum* Circumcisionis Domini, ritu duplicis 2 classis cum feriatione; Feria VI post octavam Corporis Christi dicitur agi *festum* SS. Cordis Iesu ritu duplici 1 classis sine feriatione; et die 11 Novembris *festum* S. Martini ritu duplici, die autem 1 Septembris *festum* S. Aegidii Ab., licet habeat ritum simplicem.

Festum ergo dicitur, non tantum dies illa, in qua celebratur memoria cum solemnitate et cum abstinentia ab operibus servilibus, sed illa quoque dies in qua recolitur memoria alicuius mysterii D. N. I. C., vel B. Mariae V., vel alicuius Sancti.

Hoc sensu, *festum* apud liturgicos opponitur *feriae,* ita ut habeantur dies festivi et dies feriales, sicut officium festivum et officium feriale. In hoc ergo distinguitur *festum* alicuius Sancti ab eius *officio. Officium* enim dicitur complexus precum liturgicarum, quibus in festis vel feriis celebrandis utitur Ecclesia.

Hinc patet, non posse, nec debere confundi notionem officii, et notionem festi. Licet ergo aliquando, sine periculo ambiguitatis, unum pro alio ab auctoribus sumatur, quandoque tamen omnino distinguenda sunt, ad praecavendas aequivocationes, quae saepe confusiones gignunt.

In Martyrologio edito in alma Urbe anno 1867, habetur Appendix pro Clero Romano, in qua pluries legitur vox *officium*, in sensu diviso *a festo*.

Ex. gr., die 24 Iulii habetur: *Officium S. Vincentii a Paulo Conf.*, quia a Clero Romano recitatur *officium* eius, ea die 24 Iulii assignatum ex die 19, in qua fit de S. Symmacho Pont. Mart. Nihilominus *festum* S. Vincentii affixum manet sua die 19, ita ut Presbyteri Congregationis Missionis, qui illum ut Fundatorem venerantur, festum eius agant illa die, et officium S. Symmachi, viceversa, die 24 Iulii persolvant. Quare hoc? Quia licet assignetur *officium* recitandum alia die, relativum *festum* non amovetur a sua die, in qua Apostolica Sedes illud celebrandum constituit.

Igitur quando in unam eamdemque diem plura festa incidunt, ut in casu S. Symmachi et S. Vincentii, alterutrum fieri potest ab Apostolica Sede; aut pro uno ex festis *mutatur* dies in qua celebretur eius *festum*, et tunc non solum *officium*, sed *officium* et *festum* perpetuo reponuntur in die mutata; aut relicto *festo* in sua die, reponitur *officium* solummodo illius in alia die persolvendum.

Primum fecit ex. gr. Pius Pp. IX pro S. Paulo a Cruce, cuius *festum* celebrandum esse constituit die 28 Aprilis, licet Sanctus obierit die 18 Octobris; secundum fecit hisce diebus nostris Leo Pp. XIII, quando instituit festum S. Bedae, die 27 Maii recolendum, quae est eius natalitia, et *officium* s. Mariae Magdalenae de Pazzis, inde amotum, assignatum fuit diei 29 eiusdem mensis; primum dicitur *mutatio* diei *festi*, secundum dicitur *assignatio* vel *repositio officii*.

Doct. Petrus Piacenza.

(*Continuabitur*).

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

TEXTUS ET COMMENTARIUM

Textus authenticus

ISTRUZIONE ed ORDINI da osservarsi nell'Orazione continua di quarant'ore coll'Esposizione del Santissimo Sacramento per i bisogni di S. Chiesa, secondo la pia mente de' Sommi Pontefici, confermata e pubblicata di nuovo, per ordine di nostro Signore Clemente XII.

Latina versio

INSTRUCTIO et DECRETA observanda in Oratione continua quadraginta horarum, cum expositione Sanctissimi Sacramenti, pro necessitatibus S. Ecclesiae, iuxta piam mentem Summorum Pontificum, confirmata (1) et iterum publicata, de mandato D. N. Clementis Pp. XII.

(1) Textus praesentis Instructionis, qui nuper a S. Rituum Cong.ne in authentica Decretorum collectione relatus est, etsi nonnulla iam nunc antiquata (legitime an non videbimus) contineat, perpaucis exceptis, idem prorsus est, qui, Clementis XI iussu, primum prodiit, initio anni 1705;

in hoc amplius invenitur, quod, eodem anno labente, ex specialis congregationis, de mandato SS.mi, apud Cardinalem Vicarium coadunatae, consultu, additum est, et alia recentiora.

Prospero, *del Titolo di S. Silvestro* in Capite, *della S. R. C. Cardinale* **Marefoschi,** *della Santità di N. S. Vicario Generale.*

§ I. Essendo state fatte, sin dal tempo dell'introduzione dell' Esposizione del SS.mo Sacramento per l'orazione continua di quarant'ore diverse provisioni, spettanti al decoro di detta funzione, acciò le medesime vengano esattamente osservate, e si rimuova ogni abuso introdotto in alcune Chiese, d' ordine espresso della Santità di Nostro Signore, datoci coll' oracolo della sua viva voce, ordiniamo e comandiamo, che in tutte le Chiese di questa città, tanto Patriarcali, quanto Collegiate e Parrocchiali, ed in altra Chiesa sì dei Secolari che dei Regolari, in qualsivoglia modo privilegiata e degna di special menzione, in cui si farà la suddetta orazione di quarant'ore, s'osservi inviolabilmente quanto si prescrive nella pre-

Prosper, Tituli S. Silvestri *in Capite*, S. R. E. Cardinalis **Marefoschi,** Sanctissimi Domini nostri Vicarius Generalis.

§ I. Quum ab ipso tempore, quo introducta est SS.mi Sacramenti expositio pro Oratione continua XL horarum, plures datae fuerint regulae huiusmodi sacrae functionis decorem spectantes, ut eaedem apprime observentur, necnon abusus in quibusdam Ecclesiis irrepti omnino tollantur, de speciali mandato SS.mi D. N., vivae vocis oraculo nobis dato, in omnibus huius almae Urbis Ecclesiis, tam Patriarchalibus, quam Collegiatis et Parochialibus, sicut et in quavis alia Ecclesia sive saecularium, sive regularium, quolibet modo privilegiata ac speciali mentione digna, in qua praedicta XL horarum Oratio obtinebit, sub infrascriptis poenis, quaecumque in hac novissima In-

sente novissima Istruzione, sotto le pene infrascritte.

structione praescribuntur, inviolabiliter observari statuimus et praecipimus (2).

(2) Huius tenor exordii, quo praecedentibus Decretis vis adiicitur, poenae in transgressores comminantur, accedente peculiari Summi Pontificis mandato, etsi directe solas Urbis Ecclesias respiciat, ex dictis in *praenotandis*, nullimode iuri officit Ordinariorum, ut possint hi suis in Dioecesibus, eumdem prorsus tenorem prosequi, ad idem effectum in re tanti momenti obtinendum, etiamsi in aliquibus quaedam videri possit discrepantia, essentialia certo non tangens, inter *Instructionis* regulas, et *Caeremonialis Episcoporum* vel *Ritualis Romani*. Hinc non tenetur Ordinarius, nec pro dictis casibus, ab Instructionis litera recedere.

§ II. Si metterà sopra la porta della Chiesa, dove sarà l'Esposizione, un segno del SS.mo Sacramento ornato di festoni, come pure a capo della strada vicina, perchè sia noto a chi passa, esservi l'Esposizione del SS.mo Sacramento.

§ II. Supra ianuam Ecclesiae, in qua fiet expositio, et a capite vicinae viae, ponatur signum SS.mi Sacramenti sertis festivis ornatum, ut transeuntibus innotescat, inibi haberi SS.mi Sacramenti expositionem (3).

(3) Finis huius dispositionis plane attingitur, ubi pro aliis expositionibus signum apponitur non supra ianuam, sed ex latere, et nullis sertis festivis ornatum. Quoad hoc ornamentum, notandum, usum invaluisse in Urbe non amplius illud conficiendi ex sertis festivis, laureis nempe vel myrteis, sed ex sericeis institis ad epistylium, sive ex aulaeis seu tentoriis rubeis, aureis lemniscis ornatis, quod non videtur reprobandum; finis enim praecepti aeque sic attingitur. Quod

apponatur et a capite vicinae viae, praeceptum tantum videtur, si Ecclesiae frons abscondita fere maneat infra angusta viarum.

§ III. Il SS.mo Sacramento dovrà esporsi all'Altare Maggiore (eccettuate le Basiliche Patriarcali, nelle quali si suole esporre sopra altro Altare), e si coprirà l'Immagine o Statua, che vi sia, come anche le pareti della tribuna, e le vicine all'Altare, se non vi sono ornamenti fissi, si copriranno con drappi, avvertendosi, che gli apparati non contengano istorie, nè cose profane.

§ III. SS.mum Sacramentum exponendum erit in Altari maiori (exceptis tamen Basilicis Patriarchalibus (4), in quibus in alio Altari exponi consuevit) cooperieturque Imago vel Statua, quae ibidem reperiatur (5); item parietes tribunae Altarique vicini, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperientur; verum caveatur, ne iidem apparatus historias, resve profanas repraesentent (6).

(4) Nulla ceteris Ecclesiis suffragari potest consuetudo, SS.mum exponendi pro hac solemni Oratione, in Altari secundario, neque si hoc fuerit amplissimum et ornatissimum; in aliis expositionibus nulla difficultas, ut eruitur ex huius Instructionis § XXXVI, et S. R. Cong.nis Decreto **3293**-*5538, S. Iacobi de Chile, 21 Aprilis 1873.* Quod si Altare maius sit orientalis formae, in sua tamen integritate consecratum, permittitur ita adornari, et SS.mum Sacramentum ita collocari, ut frons ex parte populi habeatur, sed etiam hoc in casu, *in expositione XL horarum, Missa, ex parte occidentali celebretur, si fieri potest, choro in eadem parte adstante* (S. R. C. n. **3657**-*5965, Urbis,* 30 Martii 1886).

(5) Quaestio igitur oriri nequit, an imago, tempore solemnis huius expositionis, detecta manere possit. A fortiori

prohibitum censeri debet, aliquam aliam haud Altaris propriam apponere imaginem, quod Decreto S. R. C. sancitum est, d. d. 7 Febr. 1874, in *Lisbonen.* n. **3320**-*5572*, quo edicitur: " Non esse tolerandam consuetudinem (exponendi imaginem Iesu Infantis in Altari maiori tum quando in praecipuis anni festivitatibus... SS.mum Sacramentum exponitur, tum etiam quando eiusdem Sacramenti expositio fit in forma Quadraginta horarum); exponi autem poterit imago divini Infantis in alio Altari „. Sed quomodo non prohibetur imaginum expositio in aliis Altaribus, quando in Ecclesia Sacramenti expositio perpetua habetur, neque vetantur imagines circa Altare expositionis, dum *solum tegenda est imago, quae extat in Altari in quo fit expositio* (S. R. C. in una *Societatis Presb. SS.mi Sacramenti*, n. **3241**-*5476*, ad IV, 11 Mart. 1871). Decretum in *Mazarien.* d. d. 27 Sept. 1828 (confirm. 1 Octob.), n. **2664**-*4639*, consuetudinem damnans detectum relinquendi S. Ioannis Bapt. simulacrum, quod *non supra Altare, sed extra illud, sexdecim fere palmis seiunctum, in propria aedicula existit*, tempore tantum expositionis XL horarum, et quod idcirco alteri videtur contradicere, vim solummodo dicendum est habere in loco, pro quo datum est, hac forte de causa, quod agitur in casu de *insigni* simulacro, magna populi veneratione circumdato, quod detectum nimium ab actuali SS.mi adoratione arceret.

Quaestio tamdiu controversa, an in aliis expositionibus almi Sacramenti, imago Altaris detecta manere possit, dirimitur Decreto n. **3599**-*5898*, ad III, *Cong.nis Piorum Operar.*, d. 14 Decemb. 1883, quo declaratur: " Durante huiusmodi (transeunte) SS.mi Sacramenti expositione, statuam *(Ecce Homo)*, de qua in casu (quae nempe fixa in Altari manet), posse detectam manere „. Quod similiter declaratum est (teste Gardellinio, *Adnot. in Instr. Clem., III, 5)* pro imagine B. M. V. in Sacello Paulino Basilicae Liberianae existente. Ubi tamen consuetudo viget, etiam in praefatis ex-

positionibus imaginem cooperiendi, laudabilius profecto retinebitur; quippe qua melius, directae et immediatae SS.mi Sacramenti adorationi consulitur.

(6) Finis huius dispositionis est solemnitas maior ab ipsa ritus natura requisita, unde si tribuna aliique vicini parietes satis ornati sunt, nihil sit amplius inquirendum. (*)

Dubitari potest, an dictio *historias resve profanas* in sensu copulativo intelligenda veniat, quasi dicatur: *historias profanas et res profanas*, an vero disiunctive, ita ut subintelligatur *historias* " etiam sacras " resve profanas. Ex superius dictis, circa imagines cooperiendas, non videntur prohiberi sacrae figurae seu historiae; si enim stare queunt aliae *imagines* et, ut hoc loco dicitur, *ornamenta fixa*, quae plerumque figuras quoque continent resque satis attentionem sibi trahentes, non subest ratio, cur aulaea sacras historias exhibentia nequeant adhiberi. Sed forte melius dicetur, differentiam in hoc considerari posse, quod novitas apparatus magnam distractionem gignere valet, dum e contrario, res continuatim sub oculis positae nullam aut parvam: *ab assuetis* enim *non fit passio;* ideoque etiam *historias sacras*, in casu, esse ab apparatu arcendas.

(Continuabitur) I. B. M. *c.* M.

(*) Hic quoque versio, quam sequimur, habet: ..... *le pareti della tribuna e le vicine all'Altare ..... si copriranno etc.*, quod absurde ita vertitur: *tribunae, parietes, Altariaque vicina* (BIBLIOTECA: *tribunae parietes, Altariaque vicina*) ... *cooperiantur.* Hae voces, *rectum casum* indicantes, docent cooperiendas esse *tribunas;* quas? ... *parietes*, omnes ne per Ecclesiam? *Altaria vicina*, hoc est enorme! Dum e contrario sensus est, quod cooperiri debeant *parietes tribunae*, s've *absidis Altaris* expositionis, et *parietes* extra absidem, quae manent prope *Altare idem expositionis.* Ergo dicendum: *tribunae* (casus specificationis) *parietes* (casus rectus), *Altarique* (casus tertius, termini complementum) *vicini* (casus rectus adiecti vi, ad substantivum *parietes* pertinens).

Sed in similibus explicandis non amplius immorabimur.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Mandela.* **De observantia duorum Decretorum, quae pugnare videntur inter se.** Decretum gen. datum 20 Mart. 1706 decernit, Regulares non solum recitare sine privilegio non posse officia aliis Religionibus concessa, sed neque Missas earum proprias. Nam tertio proposito Dubio: " An Regulares, absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint.... recitare *Officia* et *Missas* concessas aliis Religionibus „, absolute respondit " *Negative* „. Ergo, Missae Regularium propriae, quae Religionibus aliquibus concessae fuerunt, ab aliis Regularibus alterius Religionis celebrari nequeunt. Notandum autem, hoc Decretum in novissimis editionibus Breviarii, uti in Editione typica a cl. Pustet elaborata, anno 1900, insertum legi; ergo servandum est.

At Decretum aliud pariter generale, recentius, d. 9 Iulii, confirmatum 9 Dec. 1895, aperte declarat, Missas Regularium proprias alicui Ordini concessas, non solum ab alterius Ordinis Regularibus, sed ab omnibus Sacerdotibus saecularis cleri recitari posse. Hoc autem Decretum, utpote recentius, omnino servandum videtur. Quale ergo servandum e duobus? Et si alterutrum ex iis servari oportet, nonne alterutrum expungendum?

Resp. Neglectis expositis, utrumque Decretum observari potest ac debet; quia obiectum horum Decretorum toto caelo differt, quidquid adm. Rev. Consulens dicat. Namque, sicut Regulares privilegiorum diversis Religionibus concessorum participes fiunt, ita in tertio Dubio relati primi Decreti,

quaeritur, utrum participes esse quoque valeant, vi praefatae communicationis, illorum etiam privilegiorum, quae respiciunt Officia et Missas Regularium proprias, hoc est, illis ex peculiari privilegio concessas. Porro S. R. C. absolute respondet: *Negative*, hoc est: Seu Officia, seu Missae, quae alicui Ordini peculiariter conceduntur, adeo sunt propriae illorum, quibus concessae sunt, ut Sacerdotibus aliorum Ordinum illas recitare non liceat, nisi his quoque peculiariter et explicite dictum privilegium extendatur. Ita ex. gr. Ordo S. Benedicti Missae propriae privilegio fruitur S. Fundatoris, illi peculiariter concessae: licebitne eam celebrare Patribus Carmelitis, Dominicanis, vel etiam aliis quibuscumque saecularis cleri Presbyteris? Minime gentium, nisi et ipsi eodem privilegio explicite fruantur. Patres Barnabitae propriam quoque nuper approbatam habent Missam cum Officio S. Antonii Zaccaria: licebitne Benedictinis, Carmelitis aliisque de clero, seu regulari seu saeculari, eamdem Missam cum Officio dicere, nisi et hi privilegium extensum habeant? Negative pariter respondendum, et quidem omni cum certitudine, est.

Sane responsionis veritas ex iisdem patet Decreti verbis, quae sic se habent: " An Regulares... sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint addere nomen S. Fundatoris in *Litaniis* et *Confiteor?* itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus? „ En Dubium, cui negative S. R. C. respondet. Quid ergo eiusmodi responsio significat? Hoc unum, nihilque aliud, scilicet: privilegium, quo Regulares gaudent, vi cuius facultates uni Religioni concessae, alii Religioni extenduntur, non respicere Officia neque Missas; sed ut haec uni Religioni concessa, Religioni alteri extendantur, explicitam et peculiarem concessionem requiri.

Quid autem praedicat Decretum generale alterum? Sacerdotes ad alienam Ecclesiam confluentes, ubi festum recolitur Missam propriam habens, quae exteri Celebrantis non

sit propria, posse nihilominus ac debere, si Missam velint facere, illam recitare. Lex est generalissima: Missam propriam habentes, sint regulares Presbyteri in propria Ecclesia, sint saeculares, sint etiam Moniales, quicumque alius Sacerdos exterus ad eam celebraturus accedat, illam propriam, ea die, et non aliam, facere valeat. Obiectum ergo huiusce Decreti, nullo pacto respicit privilegiorum communicationem, sed casum peculiarem cuiuscumque externi Sacerdotis ad alienam Ecclesiam accedentis celebrandi causa. Respicit uniformitatem in unaquaque Ecclesia servandam, quod Missarum celebrationem attinet, in festis duplicibus. Respicit idem Calendarium, circa Missam, sequendum, in eadem Ecclesia, ut eidem Mysterio vel Sancto idem et integer tribuatur in illa die cultum ab omnibus Sacerdotibus in ea celebrantibus. Respicit denique ipsum Celebrantis rationabile commodum, ne cogatur aliam inquirere Missam sui propriam, quae forte in illius Ecclesiae Missali non prostat, vel est diversa: ne alibi pergere cogatur, ut facere valeat Missam sibi concessam, uti hucusque accidit.

Uti ergo patet, horum duorum Decretorum non idem sed diversum est obiectum, quinimo alterum cum altero nihil communis habet. Vi namque primi Decreti, Officia et Missae, sive Regularium sive Saecularium propria, e relativis Ordinibus et Ecclesiis exire nequeunt, ut pro aliis Sacerdotibus quibuscumque inservire valeant, cum communicatio privilegiorum in re liturgica omni robore destituatur. Hic est, et non alius, primi Decreti sensus. Vi secundi Decreti quicumque Sacerdos celebrans in aliena Ecclesia, illius Calendarium tenetur sequi, et Missam, etsi propriam, ad dictam Ecclesiam pertinentem, tenetur dicere, si celebrare velit, et aliam non potest recitare. Ergo satis abunde patet, utrumque ex duobus Decretis, inter se optime convenire, et esse servandum.

II. *E Centumcellis.* **De modo agendi in transferendo**

festo Dominicae affixo, cui locus in Calendario non suppetat. Officium Patrocinii B. M. V. dup. mai. Dominica II Novembris occurrit. Si dies dicta sit impedita, ex. gr. ob octavam Omn. SS., *dummodo habeatur privilegium*, transferendum est ad primam diem liberam. Iam nunc, dato quod haec dies libera, quod aliquando vere accidit, non habeatur in proprio Calendario, commemorandum ne est, ad instar simplicis, ipsa II Dom. Novembris, an potius absolute omittendum? Quid etiam dicendum in eodem casu de ceteris Officiis dup. mai., quaecumque ea sint, in anno occurrentibus? Quid demum de Ss. Ecclesiae Doctoribus plerumque ritus dup. min. (qui ex nova Rubrica transferri debent) quando in anno nulla dies superest pro illorum repositione?

Resp. Non videtur prima fronte difficultas in singulis, qui propositi sunt, casibus; cum lex generalis apprime servari possit. Non quidem lex translationis, siquidem supponitur dierum liberorum deficientia, sed alia lex redigendi videlicet festa impedita ad ritum simplicem. " De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties, iuxta sequentem Rubricam de Translatione festorum, reduci debent ad modum simplicis, fit commemoratio ad instar diei octavae et Dominicae etc. (*Tit. IX, n. 7*) „. Citata autem Rubrica in sequenti Titulo, postquam disposuit de duplicibus minoribus ad simplicem ritum redigendis, mox subdit: " Iisdem comprehenduntur regulis alia festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest (*Tit, X, n. 1*). „ Sint ergo festa duplicis minoris ritus, sint ritus maioris, eamdem semper tradunt legem Rubricae, ea scilicet esse ad ritum simplicem redigenda, quoties vel transferri non debeant, uti duplicia minora, vel transferri nequeant, quod locus iis in Calendario non suppetat. Idem ergo indubie agendum de duplicibus minoribus Doctorum Ecclesiae, qui translationis privilegio gaudent, quando ex defectu dierum liberorum, comprobari translatio nequit. Idem autem de duplicibus maioribus in-

telligendum esse confirmat Decretum *Viglevanen.* **3885** ad II, quod praedicat, festum Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli (dup. maius) ex communi lege, si perpetuo, ergo a fortiori s. accidentaliter, impediatur, ad instar simplicis perpetuo redigendum.

Hinc patet ad propositas quaestiones resolutio. Itaque Patrocinium almae Virginis, si translationis iure gaudeat, et transferri ob defectum diei liberae non possit, die sua, hoc est Dom. II Nov. in casu esse commemorandum, uti reliqua festa, quae fieri et transferri nequeunt. Idem pariter dicendum de duplicibus maioribus per annum occurrentibus, si eadem in conditione versentur, idemque etiam de duplicibus minoribus Doctorum Ecclesiae, si nec celebrari, eadem de causa, nec transferri queant.

Sed difficultas, quoad primum Dubium, haud dictis obstantibus, fit ex eo, quod festa Dominicis affixa, ex iure communi, si impediantur, commemorari eo anno non debent, sed penitus omitti: ita statuentibus Decretis pluribus, uti **1721** ad 3, **2417** ad 4, **2745** ad 9, et alia similia. Num ergo ex eo, quod indulto gaudeant translationis, gaudebunt et iure commemorationis, si iis dies libera non suppetat? Respondemus affirmative, salvo meliori iudicio. Ratio est, quia festa de iure communi Rubricarum, mobilibus solemnibus exceptis, sedem aliquam occupare debent, diei mensis affixam. Quod si aliquando celebrantur, vel in feria aliqua, vel in aliqua Dominica, id est praeter communem regulam, et ex indulto. Pro solemnibus enim universalis Ecclesiae, uti pro Pascha, Pentecoste, Ascensione, ratio gravissima suppetit mysterii; sed pro particularibus sola ratio, saltem generaliter loquendo, suppetit privati Ecclesiarum commodi vel devotionis. Hinc pro his festis noluit S. R. C. applicare regulam generalem iuris translationis in casu impedimenti; sed iussit, ut impedita penitus omitterentur. Et iure; lex enim Rubricarum primo servanda, quae festa supponit semper, excipiendis ex

necessitate exceptis, die aliquo mensis esse recolenda, non vero Dominicis aut feriis, nisi quatenus dies mensis in has vel illas incidat. Indultum ergo ea celebrandi concessit, ea tamen conditione, ut impedita nec transferrentur, nec commemorarentur. Aliunde iam satis est, ut in Dominica aut feria, cui sunt affixa, aliquod aliud festum diei mensis de iure affixum impedire valeant, cum sit praeter legem. Indultum ergo limitavit ad solam celebrationem in Dominica vel feria, sed recusavit ea aliis secundum legem festis aequiparare, quae et translationis et commemorationis iure gaudent.

At si S. R. C. indultum extendit etiam ad translationem, id significat eiusmodi festa voluisse paria ceteris facere. Adeo ut, posito indulto translationis, haec festa, sicuti reliqua, ut supra, sive accidentaliter, sive perpetuo impediantur, semper reponi possint in primam insequentem diem liberam, tanquam in sedem propriam, uti edicit Decretum **3919** ad V. Ergo inter eiusmodi festa affixa Dominicis aut feriis, et alia diebus mensis affixa, nullum amplius discrimen intercedit. Atqui haec, si transferri nequeunt, commemorari debent; ergo et illa.

Subsumi tamen potest, Indulta dare quantum sonant nihilque amplius, sed dant solum ius translationis, ergo non et commemorationis. Reponimus distinguendo maiorem, videlicet: dant quantum sonant nihilque amplius, si in re concessa aliquid aliud non includatur, concedimus; si in re concessa includatur, negamus. Itaque animadvertendum, ideo commemorari festa, quia transferri nequeunt, si enim id non comprobetur, nequeunt die sua commemorari. Commemoratio proinde considerari potest ac debet quasi compensatio pro impedita translatione. Ergo translatione impedita, ex necessitate sua, festum cum commemoratione compensari debet, et quidem vi Rubricarum. Hinc Rubricae duplicibus minoribus, Doctorum Ecclesiae exceptis, quae ius habebant ad trans-

lationem, hoc iure sublato, trinam commemorationem concesserunt, ut quodammodo compensarentur. Atqui festis quibusdam localibus, Dominicis et feriis affixis, S. R. C. concessit ius translationis; ergo, huius iuris exercitio impedito, remanere debet pro iisdem compensatio, seu commemoratio: quae, uti dictum est, ex eodem iure derivat, et in illo proinde includitur. Eapropter certum videtur admittendum principium, festum quodcumque, eo ipso quod iure translationis gaudet, iure quoque gaudere debere commemorationis, si transferri nequeat. Hinc patet responsio ad singula Dubia: Commemorandum est Patrocinium Deiparae; commemoranda sunt omnia alia duplicia maiora; commemoranda sunt duplicia minora Doctorum Ecclesiae; quia ius habent ad translationem.

III. *E Gallia.* **De Missa votiva solemni pro re gravi ordinanda diebus 14 Augusti et 7 Decembris.** Quomodo eiusmodi votiva Missa solemnis, si sit de Beata Maria, ordinanda? De ipsa Deipara erit, an de Vigilia? Quid de reliquis?

Resp. Si die 14 Aug. et 7 Dec. cantari debeat Missa votiva solemnis de Deipara pro re gravi, iure arbitramur, hanc Missam de relativa vigilia dicendam esse, tribus ad summum Orationibus relictis, cum unica dicenda sit vi Rubricae Missalis *(Tit. IX, n. 14)*. Ratio est, quia cum Missa de vigilia ex praecepto, iuxta praesentem disciplinam, sit sufficienda in casu Missae votivae, sive haec sit lecta, sive cantata, sive solemnis, eamdem retinet naturam. Aliunde prohibitio Missae votivae huic innititur momento, quod utriusque Missae subiectum est idem, nempe Deipara: hoc autem non mutatur, sive Missa legatur, sive cantetur, sive cum solemnitate peragatur. Ergo eadem sumenda erit Missa de vigilia, etsi canenda sit pro re gravi. Ceterum nonne ipsa Missa de requie potest cum maxima externa solemnitate peragi? Nihilominus Missa, quae dici debet, sive de quoti-

dianis, sive de anniversario sit, mutari non debet. A pari in casu, Missa, quae praescribitur, est de vigilia; utcumque ergo celebretur, esto pro re gravi, mutari non debet, ut illi altera votiva sufficiatur. Cum tamen Rubrica Missalis pro eiusmodi Missa unam tantum exigat Orationem, una tantum dicatur Oratio, seu de vigilia.

Quid autem de *Credo?* Haeremus ancipites; ex una enim parte, si *Gloria* in Missis votivis etiam solemnibus pro re gravi omitti debet, iuxta Rubricam, quando fiant in paramentis violaceis, de *Credo* haec exceptio non datur, et in his Missis semper dici debet. Ex alia vero parte, haec Missa est ferialis, quae non fert Symbolum: unde notat Cavalerius *(Tom. II, Cap. 15, Decr. 4, n. 6)*, et etiam Meratus *(Tom. I, pars I, tit. 11, n. 14)*, quos refert Tetamus ipsis subscribens: " In Missa de vigilia nequidem in Ecclesia propria S. Laurentii dicitur *Credo*, quia est ferialis *(loc. cit.)*. " Quidquid sit, Decretum **1333** quaestionem absolute dirimit definiens: " Hymnus angelicus Symbolumque non dicuntur in votiva solemni, in qua paramenta violacea adhibentur *(ad 3)*: excipe tamen dies Dominicos, in quibus Missa votiva solemnis, etsi in paramentis violaceis, fert Symbolum vi Rubricae. Cum itaque Missa votiva solemnis pro re gravi *Credo* non habeat, quando paramenta violacei coloris sunt, manifesto sequitur, neque in Missa de vigilia, quae illi sufficitur, *Credo* esse dicendum, licet pro re gravi; sive quia ferialis ipsa est in paramentis violaceis, sive quia citra Dominicam est.

IV. *E Lingone.* **De separatione Ss. Sociorum ab altero, cuius Reliquia insignis habetur.** Principium, quo regitur separatio vel unio Sanctorum Patroni Sociorum, reperitur in decretis n. 3431 et 4037 ad 3. Sed quomodo ex his decretis separatio non fiat, ubi habetur reliquia insignis unius Sanctae ex Sociis S. Ursulae, attentis dictis in *Ephem.* ann. 1899, pag. 495, non video. Velles ne explicare quomodo in casu praecedenti non fit separatio, dum separatio fit pro S. Dio-

nysio? An solutio eadem valet pro Sociis S. Mauritii, ubi ille est Patronus, et pro Sociis S. Desiderii, episcopi Lingonensis, Patroni, quum ex legendis Breviarii " *passi sunt cum ipso*, et omnes, sui pastoris exemplo permoti, pro eadem fidei constantia variis cruciatibus interierunt? „ Vel an non amplius sequenda sententia Academiae supra relata?

Resp. Difficultatis totius ratio in eo consistit, quod Sociae Virgines a S. Ursula duce non dividuntur iuxta Decretum antiquum 1 Ian. 1749 ad 5, e nova Collectione expunctum: dum Rusticus et Eleutherius Socii S. Dionysii separantur, ut de hoc tantum fiat, uti constat ex Decreto, pariter antiquo, e novaque Collectione expuncto, 4 Sept. 1745 ad 5. Unde concluditur, incertam esse regulam separationis, et nesciri, utrum separari debeat a Sociis S. Mauritius ubi sit Patronus, sicut et S. Desiderius Episcopus Patronus Lingonensis a Sociis pluribus, qui cum illo passi sunt. Iam nunc sint pro responso sequentes animadversiones: a) Doctrina, qua duo Decrata, quae in nova Collectione prostant, innititur, antiqua est ac certa, utpote ab optimae notae Auctoribus tradita, uti Guyetus est, Gavantus, Meratus. Hinc indubie firmiterque tenendum, " non esse dividendos eos Sanctos, qui iuncti sunt per se et quasi ex natura rei, cum videlicet aliqua inter eos consanguinitas vel affinitas intercessit *(Meratus sect. III, cap. X, n. VIII)*. „ b) " Secus vero dicendum, prosequitur Meratus, si fraternitas esset tantum spiritualis, utpote quia Sancti Fratres alicuius Instituti, seu Congregationis regularis etc. *(loc. cit.)*. „ Quod pariter intelligendum de morali quadam unione ratione martyrii, ex qua saepius in liturgico officio Sancti coniuncti reperiuntur. Sed haec ratio aliquam latitudinem patitur; quia coniunctio in martyrio maior vel minor esse potest, ut separatio in casu ab auctoritate competenti dependeat, vel etiam a consuetudine, quam defendere S. R. C. solet, dum potest. Hinc oritur, quod S. Ursulam a Ss. Sociis Virginibus noluit separari

S. R. Congregatio, cum, ex opposito, separationem fieri posse decrevit de S. Dionysio a Ss. Rustico et Eleutherio. Fortasse maiorem censuit, cunctis perpensis, coniunctionem in Ss. Ursula et Sociis eius, quam in Ss. Dionysio eiusque Sociis. c) Hinc est, quod in nova Collectione Decreta quaedam expuncta fuere, illaque tantum, quae cl. Consulens citat, relicta; in his enim certa habetur tenenda doctrina, dum antiqua expuncta aliquam fortasse in agendo incertitudinem ingerere legentibus poterant. d) Quid consequenter respondere possumus ad quaesitum: An solutio eadem valeat pro Ss. Sociis Mauritii, ubi sit Patronus, et pro Ss. Sociis Desiderii pariter Patroni? Agitur enim de Sanctis, qui non naturali, sed spiritali sunt affinitate coniuncti, in martyrio scilicet, uti ex Martyrologio, eorumque vita constat? En responsio: Quaenam est localis consuetudo? Ea servetur in pace. De Sancto Mauritio certo scimus in partibus Liguriae a Ss. Sociis separari: de S. Desiderio ipse cl. Consulens probe novit qua ratione optimi Lingonenses se gerant. Ergo servetur consuetudo.

V. *E Neapoli.* **De concursu inter festa feriata et non feriata.** Concurrente S. Romualdo (dup. 1. cl. cum oct. et festo de praecepto in Ordine) cum aliquo ex festis translatis S. Antonii Patavini Patr. princ. Regni vel Civit. aut Dioecesis, vel S. Fortunati Patroni ut supra, vel S. Zenonis, item ut supra Patroni, quomodo ordinandae Vesperae ?

Resp. Si festa translata, seu officia dictorum Patronorum et ipsa gaudeant feriatione, Vesperae sunt dividendae, cum dignitas personalis in nullo ex praenotatis festis habeatur. Aliunde in concursu nonnisi ritus et classis, qualitas primarii et secundarii et dignitas personalis considerationem merentur pro praecedentia, non vero maior festi proprietas neque distinctio inter festum et officium. Si vero S. Romualdus feriatione gaudeat, haud vero alterum festum seu officium concurrens, tunc, licet generaliter loquendo festa fori concurrentia cum festis chori, in paritate ritus, utras-

que Vesperas integras habere *non* debeant *(Decr.* **2218** *ad 2)*, quia fortasse in festis chori adesse potest qualitas primarii aut dignitas personalis, quibus festa fori carent; nihilominus, si cetera sint paria, ut in casu credimus, festa feriata habere integras Vesperas prae aliis non feriatis possunt. Etenim Decretum **2378** ad 2 explicitam praefatam doctrinam tradit, declarans: " Festa per annum duplicia, quae solemniter celebrantur a Choro, et in populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum (ceteris paribus) possunt habere integras Vesperas ad sensum Rubricae XI Breviarii Romani, num, 2 „.

VI. *Ex eodem loco.* **De festo in eumdem diem toties transferendo quoties impeditur.** Festum S. Ioannis Baptistae et etiam S. Romualdi transfertur in sequentem diem ex privilegio, illud Rubricae, istud S. R. Congnis: servare ne translatum utrumque potest octavam suam, iuxta doctrinam ab *Ephemerides* traditam, anno 1900, pag. 114 et seq.?

Resp. Ante quam responsum exhibeamus, inquirere cogimur de qua translatione agatur, an scilicet de translatione festi, an de translatione officii. De translatione *festi*, inquam, severiori sensu accepti; quia saepe saepius festum aliquod transferri dicitur, at non festum proprie loquendo transfertur, sed solummodo officium: aliis verbis, transfertur festum, non *quoad se*, sed *quoad officium* tantum. Aliquando vero transferri festum dicitur stricto sensu, nempe quoad se, cum eoque tamen necessario transfertur et officium, uti accidit ex. gr. quando festum Annuntiationis incidit in feriam VI Parasceven, vel in Sabbatum Sanctum. Tum enim festum Annuntiationis nullo pacto diebus praedictis agitur, sed in feria II post Dominicam in Albis. E contrario, si in alios dies impeditos Annuntiatio incidat, uti in Dominicam palmarum, vel in primum quatriduum maioris hebdomadae, tunc festum eo die quo cadit recolitur, sed officium tantummodo transfertur (*Decr. Gen.* **3850**).

His positis, videndum an de S. Ioanne Baptista die sua impedito transferatur festum, an officium solum. Porro Rubrica dicit: " Si festum Nativitatis S. Io: Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem (*Tit. X, n, 1*) „. Sed vero quomodo to *festum* intelligendum hoc in loco Rubricae? Dat responsionem Decretum Gen. **3838:** quod, postquam declaraverit, festum sacratissimi Cordis Iesu translatum cedere duplicibus I cl. occurrentibus, idemque statuerit de festo translato S. Ioseph, subiungit: " Item quoque servandum circa *festum translatum Nativitatis S. Ioannis Baptistae* „. Ubi plane constat, agi de festis, non quoad se, sed quoad officium: secus impossibile foret, ut festum S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae, quae vi Rubricarum quibuscumque festis praevalent, aliis festis duplicibus I cl. occurrentibus locum cederent. Ergo si cedunt, id significat, non agi de eorum festo, sed de eorum officio. Notandum praeterea, idem Decretum statuere eamdem dispositionem pro festo translato Annuntiationis; ergo de Nativitate S. Ioannis Baptistae idem ac de Annuntiatione dicendum. Atqui " quotiescumque vel feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto hoc festum impediatur, toties feria II post Dominicam in Albis... reponatur: in qua integra cum... feriatione... recolatur. Quando vero illius tantummodo impediatur officium, ad enuntiatam pariter feriam amandetur, ac nonnisi festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri (*Decr.* **3850**). Ergo etiam quando S. Ioannis Baptistae tantummodo impediatur officium, nonnisi pariter festo primario eiusdem ritus occurrente impediri potest. Non itaque translatio Nativitatis S. Ioannis Baptistae afficit festum, sed tantummodo officium, eoque sensu accipienda est Rubrica citata, quam Decreta relata interpretantur.

Porro, quae discussimus Ephemeridum loco a cl. Consulente citato, non respiciunt translationem officii, sed festi,

quando hoc non celebratur die sua prima, sed die sua a'-tera, quod in prima impeditum fuit. Si enim legatur num. 11 quaestionis liturgicae, in qua ea de re tractatum est *(pag. 318)*, habes haec verba: " Certo inferas, cuiuscumque Titularis festum, die sua impeditum, et mox exposito sensu alia die assignatum, semper servare octavam suam integram, quippe *quae cum festo transfertur.* „ Hic profecto est sensus, non alius, eorum, quae illa in quaestione exposuimus, atque ita ut alius illis tribui sensus prorsus nequeat. Ergo certum est, festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, translatum tantummodo quoad officium, non servare octavam suam, saltem integram. Videas et Cavalerium eamdem, omni cum certitudine, docentem intelligentiam Rubricae " de festo S. Ioannis, quod in sequenti die *quoad solum officium* immutatur, „ seu transfertur *(Tom. II, Cap. XIII, Decr. XVII, n. X)*.

Nunc ad S. Romualdum, pro quo eamdem, ut supra, iteramus petitionem: Transfertur ne quoad festum, an tantum quoad officium? Fortasse adm. Rev. Consulens, melius quam nos, facere satis poterit petitioni. Quod nos attinet, responsum ex generali principio inferentes, negativum damus ad primam partem, affirmativum ad alteram. Etenim principium generale est, feriationem alicui festo adnexam nunquam transferri, consequenter nec festum, quia generaliter servari potest die sua. Quibusnam enim aliis festis impediri potest festum divi Institutoris, nisi festis universalis Ecclesiae, aut Patroni loci? Atqui haec festa feriatione gaudent, ergo feriatio servari potest die qua festum cadit. Ipsa Dedicatio, festum Domini declarata, cedere potest Patrono ratione feriationis. Porro Fundator Ordinis, pro Ordine, tantae solemnitatis est, ut iuribus omnibus Patronorum gaudeat, Patronique nomen merito in Ordine fruatur, quamvis haud semper feriatione gaudeat.

Sed praeterea, etsi hypothesis fiat, ut in festum non feriatum incidat, etiam in ea hypothesi festum non trans-

fertur, sed tantum officium, nisi contrarium aliunde constet. Quia eiusmodi translatio est privilegium a S. R. C. concessum, et est, ad normam Rubricarum, uti translatio S. Ioannis Baptistae, Purificationis, etc. Verum obiectum huius privilegii nunquam est translatio festi quoad se, sed tantum quoad officium. Pro Annuntiatione autem, ut transferri possit cum integra solemnitate et feriatione, appositum generale Decretum promulgari debuit, gravique de causa, quae de aliis festis generaliter non comprobatur. Ergo idem quoque tenendum de festo Institutoris in Ordine, quod in diem sequentem ex privilegio transfertur: ut non quoad se transferri concessum sit, sed solummodo quoad officium, nisi, repetere iuvet, aliunde oppositum constet.

Quod si S. Benedictus Ab. transferri in quibusdam casibus valeat quoad se, id est peculiare privilegium speciali de causa a Benedicto XIII concessum, quod ad S. Romualdum nulla potest ratione extendi, pro quo neque specialis causa subesse potest.

BREVIORA RESPONSA

I. *E Neapoli.* Q. 1. An, in casu legitimi impedimenti, anniversarium defunctorum necessario anticipandum sit, praesertim si coniungatur cum Missa?

2. An integram octavam retineant festa S. Ioannis Baptistae ac alterius Sancti, sive Fundatoris Ordinis, sive Titularis, translata ex privilegio, in casu impedimenti, ad diem insequentem?

3. Quomodo intelligendum D. **3786**, ad 3, pro diversis casibus, qui calendaristae occurrere poterunt, in indice enim decretorum, dispositio ibidem contenta generaliter accipitur?

4. An ad commemorationem in anniversario electionis et consecrationis Episcopi teneatur Clerus regularis, si desit in casu speciale mandatum Episcopi.

R. 1. Quamvis D. **1615**, ad 1, determinate statuat, anniversarium defunctorum, quando statuta die peragi non possit anticipandum esse; attamen, post generale D. **3753**, ad 2, liberum est illud anticipare vel posticipare; ast, hac data libertate, nemo non videt quam utilius sit illud anticipare in solatium animarum.

2. Clara est, et nullam admittens exceptionem Rubrica in casu. Ita enim se habet *(tit. X, n. 1):* " si festum Nativ. S. Io. Bapt. occurrit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem.... dies autem **octava** S. Ioan. *tunc* veniens in die octava Corporis Christi etc.; et id semper servatur quando festum habens octavam transfertur: *ut non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat Octava, si festum non fuisset translatum* ". Ex quibus manifeste patet, quod, secluso speciali privilegio, pro festo

tum S. Ioannis Bapt., tum cuiuscumque alterius Sancti, octava celebratur eodem modo, ac si festum non esset translatum a die sua. Hoc tamen, in casu impedimenti accidentalis.

3. Dispositio, de qua in casu, utique generalem legem constituit, ita ut in repositione fixa et perpetua semper aliquam diem in mense relinquere oporteat, saltem ritus semiduplicis, pro Missis defunctorum celebrandis; in repositione vero accidentali, ibidem cautum est, ut fiat *in quantum fieri potest*.

4. Iuxta decreta, praesertim **3440**, ad I, et **3824**, ad V, omnes Sacerdotes, Missam intra fines dioeceseos celebrantes, tenentur commemorationem agere diei electionis et consecrationis Episcopi, adeoque et Regulares; nam etsi isti exempti quoad internum Ordinis regimen sint a iurisdictione Episcopi, attamen et in multis ab eo dependent, suaque plurimum interest, ut ceterorum, bonum regimen dioecesis, ad quod instituitur. Oratio in casu.

II. *E Panormo.* Q. 1. Utrum Fr. Min. Capulati, post D. **3919**, ad 7, possint in suo calendario, die 1 Decemb., fixe reponere officium aliquod translatum a die sua?

2. Utrum Decr. **1093** sit peculiare vel generale; et hoc in casu, an ipsi Fratres uti possint suo privilegio, quo Missa lecta valet pro cantata, in casu decreti, in eaque incensum adhibere?

3. Crux, quae pro anni sancti commemoratione apponi poterat infra elapsum annum in Ecclesiis, ditata Indulgentiis, apponi ne potuit etiam in Ecclesia noviter erecta, sed nondum cultui addicta?

R. 1. Valde explicita et formalis est prohibitio ibidem facta, reponendi fixe ea in die officium aliquod; quae tamen prohibitio pro ipsis Fratribus tantum valet, non pro omnibus, peculiares ob causas ipsos tantum respicientes. Non ob hoc tamen et ipsis prohibetur accidentalis repositio quandoque occurrens.

2. Utique decretum est peculiare, et respicit tantum eos pro quibus datum est; at non incongrue, imo spiritui, quo informatur, conformiter, extendi potest ad casus similes, nempe ubi eadem viget consuetudo. Sed quomodo usurpare valeant hoc ipsum Capulati, non videmus. Etsi enim apud ipsos vigeat consuetudo, attamen, cum in decreto agatur de Missa in cantu, et quatenus adsit concursus populi, extendi minime potest ad Missam lectam, quamvis haec apud ipsos, aliquo in casu, pro solemni habeatur: non enim semper et quacumque ex causa eorum Missa lecta pro cantata valet; et peculiares concessiones, cum sint contra ius, stricte interpretandae sunt, nec extendi possunt. Incensum vero et ipsi non semper in Missa conventuali, quae sola, uti videtur, pro cantata habetur, usurpare valent, sed " in Missis aliqua maiori cum solemnitate celebrari solitis „, uti habet concessio " ex gratia „.

3. Si Ecclesia, quamvis nondum patefacta populo, attamen benedicta saltem fuerit, utique apponi poterat crux commemorativa, et Indulgentiis gaudere. Quod si neque benedicta extiterit, non videtur; nondum enim divino cultui addicta erat, adeoque conditio deficiebat.

III. *Ex America.* Q. 1. Utrum recte se gerunt Sacerdotes, qui infra Missam Verbum Dei praedicantes in suppedaneo altaris hinc inde perambulant, etiamsi in ea asservetur Ss.mum Sacramentum?

2. Item an recte se gerunt quidam parochi, qui infra Missam solemnem, dum canitur sive *Gloria* sive *Credo*, deponunt casulam et Ecclesiam circumeunt eleemosynam colligentes.

3. An in solemni seu publica benedictione alicuius Imaginis nominari possit patrinus, qui pro ea pinguem eleemosynam elargitus est.

R. 1. Mos nonnullibi viget praedicatorem sacrum ex ampliori suggestu, vulg. *palco*, verba facientem huc illuc, ali-

quantulum promeare; in altari vero, si aliquando stando verba facit, in cornu Evangelii non vero in medio, ni sit Episcopus, sistit; praesertim vero si sacris indutus est vestibus et infra Missam, quo in casu, maximam gravitatem et maiestatem praeseferre debet, quae minime se coniungit cum illa deambulatione, de qua in casu. Adde quod transire tum deberet ante crucem, imo ante Ss.mum Sacramentum, quin ullam reverentiam facere posset; quod quam dedeceat, quamque contra rubricas sit, nemo non videt. Proscribendum itaque omnino est mos iste, sive potius abusus.

2. Et maiori ex ratione hanc secundam agendi methodum proscribendam dicimus, cum omnino prohibitum sit Missae Sacrificium interrumpere; interrumpitur proculdubio cum aliud agitur infra eamdem, quod sit alienum a ratione Sacrificii: et quamvis tum, nempe dum canitur *Gloria* vel *Credo*, Celebrans sedere deberet, hoc est nihil agere, non ob hoc subtrahere se potest ab altari; imo assistere tenetur cantui, quod est Missam prosequi. Alias nimis indecorum est sacra indumenta deponere, et altare relinquere, ad colligendas eleemosynas per Ecclesiam. Nonne hoc alius optime perageret, sive clericus, sive etiam laicus sacco saltem indutus? Sed forte plus ita accipiet! At hoc nimis avaritiam redoleret.

3. Solemniter Imagines benedicere, etiamsi altari inservire non debeant, sine Episcopi placito non licet simplici Sacerdoti, cum sit reservatum ipsi Episcopo; sed hoc supposito, et facultate ab Episcopo accepta, benedictio peragi debet iuxta formulam et ordinem in Rituali Romano praescriptum, ubi nihil de patrino habetur, sicut habetur in benedictione campanae. Quomodo igitur admitti poterit, et quo loco infra Orationem seu formulam praescriptam nomen apponeretur? Quod si ante benedictionem publicari voluerit nomen benefactoris, sive uti patroni et custodis, sive honoris gratia, hoc nihil interest, nec partem constituit bene-

dictionis. In formula igitur inseri non debet nomen sive patroni, sive benefactoris, sive alterius, qualitercumque demum vocari velit.

IV. *Pro Acrio.* 1. Q. An, deficiente die libera, in qua reponi possit festum S. Ambrosii impeditum die sua, simplificandum sit S. Eusebii festum semiduplex, ut festum S. Ambrosii ibi reponatur?

R. Nulli, sicut putamus, subiit in mentem, quod simplificari possit festum semiduplex, ut ibi officium duplex minus reponatur, cum aperte rubrica doceat esse tantum liberos dies illos, in quibus officium novem lectionum non habetur; ac deficientibus diebus ita liberis, officia, quae locum non habent die suo, esse omittenda eo anno vel simplificanda. Tantum exceptio datur pro duplicibus II classis decreto **3756**, ad I. Id quidem, nisi peculiare adsit privilegium, quod revera satis singulare esset.

V. *Pro Galliis.* Q. 1. Pro tractatione antiphonae " *Si iniquitates* " non duplicandae, V. *Ephem. Liturg.* an. 1891, pag. 374, Dub. IX.

2. Nocturnum est pars officii, non officium completum; ratio ergo dictat, ut Nocturno nihil aliud sit, ex praecepto, addendum. Nocturnum autem significat plures psalmos, vel minores numero, secundum quod ad feriam vel ad Dominicam, vel ad Commune Sanctorum pertinet, uti notum est. Ceterum Decretum d. 11 Aug. 1860, relatum in *Ephemeridibus* 1897, pag. 321 ad V, rem declarat, vimque possidet, iuxta normas Collectioni novissimae decretorum praemissas.

Nota. Pro eo quod de Hymno " *Stabat Mater etc.* " petitur, sufficit rubricam specialem legere ante festum VII Dolorum B. M. V. in typico Breviario positam.

De festis aliquibus diebus mobilibus celebrandis

CONSULTATIO.

Anno currente, 1902, ob occurrentiam Dominicae in Septuagesima, festum sacrae Familiae non habet locum in Dominica III post Epiphaniam; item Dedicatio Ecclesiae Collegiatae F, assignata in Dominica III mensis Maii, impeditur a solemni festo Pentecostes; Commemoratio autem omnium Ss. Summorum Pontificum, incidit in Dominica II Iulii, in qua occurrit festum Prodigiorum B. M. V; similiter festa Purissimi Cordis, et VII Dolorum B. M. V. impediuntur respective a festis S. Bartholomaei et S. Matthaei Apostolorum. Tandem in eadem Collegiata F festum Puritatis B. M. V. *perpetuo* impeditur, eo quod iam ab anno 1702 in III Dominica Octobris recolitur Translatio S. Florentii Patroni, dupl. 2 classis.

Haec omnia officia, hoc anno impedita, possuntne transferri?

SOLUTIO.

Pluribus ex S. R. C. decretis, ac praesertim illis, quae in nova Collectione notantur sub numeris **1265**, **1721**, ad 3, **2745**, ad 9, et **3637**, ad 3, sancitum est, ut festa quaecumque, aliquibus diebus mobilibus, praesertim Dominicis, alicubi celebranda, quando a maiori festo impediuntur, eo anno omittantur.

Imo ex decreto 25 Septembris 1852 n. **3008**, ad 1, confirmato hodie ex alio decreto 3 Augusti praeteriti anni 1901, aperte statutum est, eadem festa, licet *perpetuo* impedita, non posse assignari alia die celebranda, nisi obtineatur apostolicum indultum.

Notandum tamen est, hoc principium non valere, imprimis pro festis mobilibus ad universam Ecclesiam extensis, nempe: Ss. Nominis Iesu, VII Dolorum B. M. V. in Quadragesima, Patrocinii S. Ioseph, Sacr. Cordis Iesu, Pretiosissimi eius Sanguinis, S. Ioachim, Ss. Nominis B. M. V. et VII Dolorum eius, mense Septembri, nec non Sacrat. Rosarii.

Item, non applicatur hoc principium festis illis, quae alicui regno vel regioni concessa sunt, sicut et Dedicationi omnium Ecclesiarum, aut Translationi, vel Inventioni Corporum Sanctorum titularium, sive sint cum octava sive non.

Item Officiis Passionis in Quadragesima, et ceteris aliis, pro quibus in decreto concessionis facultas datur translationis, in casu impedimenti. Sicque, festum Sacrae Familiae, Dominica III post Epiphaniam recolendum, conceditur omnibus Episcopis illud petentibus, tacita facultate illud transferendi, per decretum 14 Iunii 1893, n. **3802**. Pro Urbe Roma vero eiusque districtu, idem festum concessum fuit, *facta potestate idem festum transferendi in primam subsequentem diem liberam, iuxta Rubricam, quoties enuntiata Dominica impedita occurrerit*, ut habetnr in decreto 21 Iulii 1893 n. **3809**. Quod magis confirmat principium positum.

Ratio vero, qua huiusmodi festis mobilibus indultum translationis in casu impedimenti accidentalis, et repositionis in casu impedimenti perpetui, denegatur, duabus ex causis repetenda est.

Prima nempe quia ut plurimum haec festa fiunt ex devotione populi; populus autem, in Dominica tali, iuxta concessionem, recolit festum, sit vel non sit impeditum, licet officium a clero non recitetur; ad quid ergo hisce festis concedere ius translationis, si die translata populus non amplius dictum festum concelebrat? Ex hac ratione, proculdubio, ducta fuit S. R. C., quando alio suo decreto, 16 Iunii 1663, n. **1265**, ad 1, concessit, ut de festo mobili

huiusmodi, non transferibili, quando impediatur, Missa altera decantetur. Et recte; cum enim populus in tali Dominica recolere soleat illud festum, ad conciliandam legem cum populi devotione, Missa de festo impedito concessa est (1).

Secunda causa inquirenda est ex alio fine concessionis huiusmodi officiorum diebus dominicis. Quisque bene novit generale decretum d. 5 Iulii 1883, n. **3581**, quo omnibus petentibus et non petentibus concessa sunt officia votiva. In eo aperte legitur ratio huius generalis indulti, hisce verbis: *Compertum quippe est, coarctata translationum serie... interim tamen haud leviter inde augeri onus officiorum ferialium; quod imminuto hodie cleri numero, auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur.*

Haec ergo concessio, facta fuit in solatium cleri vere hodie imminuti et, multiplicatis oneribus, occupati; sed clerus, maxime curis parochialibus addictus, non minoribus oneribus, imo et maioribus est pressus diebus Dominicis et in Sabbatis antecedentibus; ac proinde non minor adest convenientia, ut in Dominicis, saltem per annum, officium divinum aliquantisper abbrevietur. Hinc, procul dubio, recognoscenda est origo non paucarum petitionum et concessionum huiusmodi officiorum in Dominicis.

Si ergo excipias festa Ss. Nominis Iesu, Patrocinii S. Ioseph, Pretiosissimi Sanguinis, D. N. I. C., S. Ioachim,

(1) Quam ob rem est omnino specialissimum privilegium translationis, quo gaudet festum VII Dolorum B. M. V. in Dominica III Septembris; quod licet sit secundarium, et ritu recolatur duplici maiori tantum, nihilominus transferri valet in unam ex Dominicis sequentibus usque ad Adventum. Forsitan hoc erat in intentione primi concedentis, quod praedictum festum si alicubi *perpetuo* impediretur, tunc reponi valeret in alia Dominica. Hoc videtur sane deduci posse ex decreto generali 23 Aprilis 1895 n. **3851**, in quo nihil explicite dicitur de impedimento *accidentali*. Et reapse, populus recolit VII Dolores B. V. uti solet, Dominica III Septembris atque indulgentias acquirit ea die, dum clerus officium aliud recitat.

Ss. Nominis, VII Dolorum et Rosarii B. Mariae Virginis, nec non Dedicationem Ecclesiarum, et aliud consimile festum classicum locale, quae omnia ad hoc in Dominicis assignata sunt, ut festivitas diei Dominicae addicta in honorem quoque redundaret iis officiis, quin numerus dierum festorum de praecepto augeretur; cetera officia mobilia, uti ex. gr. Puritas vel Maternitas B. M. V. in solatium Cleri, si non explicite, saltem implicite, concessa fuere.

Aliis verbis: sicut nihil incongruum visum est S. R. Congregationi votiva officia indulgere, loco ferialium, ne gravaretur Clerus, et eodem tempore cultus erga Angelos, Apostolos, S. Ioseph etc. amplificaretur, ita et multo minus incongruum eadem Congregatio iudicavit Sacerdotibus subvenire diebus Dominicis, in quibus graviora habent onera, concedendo officia breviora, et interim devotionem populorum erga Deiparam melius promovendo.

Itaque nil mirum, si huiusmodi officia mobilia iure carent translationis, quando impediuntur; nam exulat in casu etiam haec secunda causa, cum festa digniora, quae impediunt officia mobilia, iam habeant brevius officium, quam officium Dominicale ut patet.

Quibus omnibus praemissis, nunc facile respondebimus ad dubium propositum. Dedicatio Ecclesiae Collegiatae F, in casu, hoc anno 1902, impedita, transferenda est in primam diem liberam absque octava, est enim ex Rubrica ius habens translationis. Festum S. Familiae, Prodigiorum B. M. V. et Cordis eiusdem Virginis, anno eodem omittantur, eo quod carent iure translationis, nisi forte illa in dioecesi concessum fuerit. Festum VII Dolorum B. M. V., utpote impeditum a s. Matthaeo Ap., celebrabitur anno hoc in Dominica sequenti, ut explicite Rubrica specialis praescribit.

Commemoratio omnium Ss. Summorum Pontificum, uti patet ex decreto concessionis, et ex Rubrica eidem festo

praefixa, non est celebranda in Dominica, quae *prima* est in ordine post octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, bene vero in *prima Dominica non impedita*. Haec autem dicitur illa Dominica, quae post diem VI Iulii invenitur *libera*, nempe non impedita a quocumque festo, licet duplici minori, ita ut *de ea* officium agi deberet. Nil porro officit, quod anno currente celebrari nequeat Commemoratio Ss. Pontificum in Dominica *prima* post octavam Ss. Apostolorum, quia impedita a festo digniore Prodigiorum B. M. V., nam observandum erit, utrum in calendario aliqua alia Dominica inveniatur libera, usque ad Adventum, et tunc in prima libera assignabitur huiusmodi Commemoratio. Quod si nulla inveniatur Dominica libera, tunc anno praedicto omittenda erit Commemoratio ipsa, aut si in decreto concessionis facta fuerit facultas, transferenda erit in primam diem liberam post Dominicam primam, in ordine, post octavam Ss. Petri et Pauli; dummodo tamen recolatur ritu duplici maiori.

Quoad vero festum Puritatis B. M. V., quod *perpetuo* impeditur in Collegiata F, ob occursum Translationis s. Florentii, ex citatis decretis 25 Septembris 1852 et 3 Augusti 1901, nihil unquam agenduin est in illa Collegiata. Ratio est, quia dictum officium concessum fuit toti dioecesi, in Dominica III Octobris recolendum; cum vero in dicta Collegiata talis Dominica impediatur a festo solemniori et magis proprio, nullum locum adest pro Puritate B. M. V. celebranda, nisi speciale obtineatur indultum, ut in Dominica proxima celebretur.

Arbitramur autem, melius esse, et legibus liturgicis magis consonum, ut a similibus petitionibus abstineatur.

Doct. Petrus Piacenza.

Quaestio Canonico-Liturgica

Ladislao nefariae adscripto massonicae sectae plurimisque innodato censuris in singulari certamine ita pergrave infligitur vulnus ut suprema instaret hora. Parochus vocatus festinus accedit: at videns morientem sensibus plane destitutum et notum propter pessimam vitam, noluit eum absolvere, imo aperte dicit negandam esse ecclesiasticam sepulturam. At accipiens postea a quibusdam fide dignis morientem poenitentiae dedisse signa, absolvit, et imo rogatus comiter acceptat et totus incumbit exequiis faciendis, quarum pars magna fuit illa nefaria secta, quae suo vexillo interfuit Sacro, quo finito, illius coriphaeus funebrem habuit in Ecclesia orationem et deinde parochus dedit absolutionem ad tumulum.

Hinc quaeritur: 1. *Quinam privantur sepultura Ecclesiastica et quid agendum, si, ea denegata, imminent damna?*

2: *Quaenam vexilla admitti liceat in Ecclesiam et quaenam leges tum canonicae tum civiles et poenales?*

3. *Quid facere oporteat Rectori Ecclesiae si vexilla per vim introducta fuerint et quid celebrans agere debeat?*

4. *Quid de Parochi agendi ratione?*

RESOLUTIO.

Religionem sepulcri semper et ubique ab origine mundi ad nostra usque tempora etiam apud barbaras et nondum excultas gentes sancte servatam fuisse ex ipsa patet humani generis historia. Mirum ergo nemini esse debet si Ecclesia Catholica magno prosequatur honore suorum fidelium cadavera; idque ab Apostolica iam aetate uti colligitur ex sacris litteris: " Curaverunt Stephanum viri timorati et fecerunt planctum magnum super eum „ (1) et ibidem de discipula Thabita: " factum est ut infirmata moreretur, quam cum lavissent posuerunt eam in coenaculo. „ (2) Eoque magis mirum non est quia Ecclesia tam magni facit honorem sepulcri ex fine suo supernaturali, ut corpora scilicet pie decedentium eiusdem sint iuris ac dum formis suis substantialibus uniebantur, quatenus si manente forma idest anima partem habebant in bonis spiritualibus, etiam horum participent, efflata anima, unde concludimus cum Ballerini: " sepultura ecclesiastica pars est communionis sanctorum, ut non tantum animae defunctorum suffragiis fidelium iuventur, sed et eorumdem corpora locum sacrum obtineant et ibi quiescant ubi preces et sacrificia pro ipsis defunctis offeruntur „. Si igitur sepultura ecclesiastica pars est communionis sanctorum, ut ait Ballerini (3), communionis ecclesiasticae, ut ait Bucceroni (4), procul dubio neganda est qui extra Ecclesiae communionem decedunt ex regula iuris: " Sacris est canonibus institutum ut quibus non communicavimus vivis non communicemus defunctis „ (5) aeque ac donanda qui in communione Ecclesiae e vita migrarunt, unde in Rituali (6)

(1) Actus Apostol. cap. VIII, vers. 2.
(2) loc. cit. cap. IX vers. 32.
(3) Opus Theol. Mor. vol. 7, n. 593.
(4) Instit. Theol. Mor. vol. 2, n. 1156.
(5) Apud Ballerini, loc. cit., n. 350.
(6) De exequiis.

" nemo christianus in communione fidelium defunctus extra Ecclesiam aut Coemeterium rite benedictum sepeliri debet. „ En igitur lex canonica quosdam donans sepultura ecclesiastica (1) quosdam privans : donans qui sunt *in Ecclesia*, quibusdam exceptis in poenam criminis uti postea declarabimus, privans vero absolute qui sunt *extra Ecclesiam*. Quid autem sibi vult *intra Ecclesiam*, *extra Ecclesiam* nostri non est heic ex professo declarare : supponimus ex theologia dogmatica quae nos docet Ecclesiam vere esse et dici corpus Christi mysticum ex membris coalescens quae sunt fideles. Unde sicut in quibuslibet membris quaenam requiruntur conditiones ut alicui corpori pertineant, ita in membris Ecclesiae mystici corporis Christi. Porro unanimi antiquitatis consensu et Ecclesiae historia constat requiri ut quis sit et dicatur Ecclesiae membrum quasdam conditiones, quibus vel una tantum deficiente iam extorris est Ecclesia. Conditiones vero requisitae ad tres reduci queunt (2) et sunt : *A)* Unitas fidei cum fidei sacramento. *B)* Unitas legitimae subordinationis. *C)* Unitas canonicae communionis. Unde quum his conditionibus plane destituuntur *a)* defectu fidei nondum susceptae pagani, iudaei vel cuiusvis nominis infideles ; *b)* defectu fidei susceptae et repulsae haeretici et apostatae ; *c)* defectu legitimae subordinationis schismatici ; *d)* defectu canonicae communionis excommunicati, clarissime patet hos omnes esse extra Ecclesiam; et quam sapientissime lex canonica (3) interdicit sepulturam ecclesiasticam " paganis, iudaeis et omnibus infidelibus, haereticis et eorum fautoribus (4), apostatis

(1) Quid sit sepultura ecclesiastica et quae veniunt eius nomine iam fusius egimus in altera quaestione canonico-liturgica edita in hac ephemeride in mense Maio huius anni.

(2) Franzelin. De Ecclesia, Thesis XXII.

(3) Rituale Romanum : De exequiis.

(4) Fautores haereticorum sunt extra Ecclesiam non ratione haeresis quam forte possunt non admittere sed ratione censurae quam certe incurrunt ex art. 1. constit. *Apost. Sedis*.

a christiana fide, schismaticis et publicis excommunicatis maiori excommunicatione .... infantibus mortuis absque baptismo „. Diximus supra etiam quibusdam membris Ecclesiae interdici in poenam criminis sepulturam ecclesiasticam ex ipsa lege canonica. Haec porro (1) denegat: " interdictis nominatim et iis qui sunt in loco interdicto eo durante. Seipsis occidentibus ob desperationem vel iracundiam non tamen si insania id accidat, nisi ante mortem dederint poenitentiae signa. Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa. Manifestis et publicis peccatoribus qui sine poenitentia perierunt. Iis de quibus publice constat quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis et Communionis in Pascha et absque ullo signo contritionis obierunt „. Haec ad unguem lex de sepultura ecclesiastica neganda indignis in Rituali Romano expressa: at licet verba Ritualis sint clara non ita tamen ut nullum in praxi non possit exoriri dubium. Aliqua igitur ex Auctoribus de re canonica agentibus obiter delibamus, eo ordine quo divisimus privandos sepultura ecclesiastica prout sunt in Ecclesia vel extra. De illis qui sunt extra Ecclesiam defectu fidei nondum susceptae; nullum dubium de paganis, iudaeis ceterisve cuiusvis nominis infidelibus: hi omnes nunquam receperunt fidem, proinde privantur sepultura ecclesiastica qua donantur tantum fideles et quidem baptizati, sola enim Fides non facit quemquam membrum Ecclesiae nisi etiam sacramento fidei initietur. Unde Catecumeni non adhuc sunt in Ecclesia sed potius in vestibulo quibus in ipsam aulam ingredi necesse est, ut scribit Nazianzenus, seu aliis verbis catecumeni pertinent animae non corpori Ecclesiae uti aiunt theologi. Non desunt tamen auctores qui contendunt posse catecumenos in loco sacro sepeliri uti videre est apud Ballerini (2). Nos vero sectantes sententiam

(1) Rituale Romanum De exequiis.
(2) Opus Theol. Moral. vol. 2, n. 188.

plurimorum ex principiis negamus. Maior autem difficultas est de infantibus morientibus absque baptismo de quibus tres instituimus casus. *A)* de infante mortuo quin ipsa mater moriatur. *B)* de infante mortuo simul cum matre eum in utero gerente. *C)* de infante non baptizato vel inscientia praesentium in utero matris morientis e quo extrahitur mortuus vel eorum negligentia si vivus et statim moritur (1).

In primo casu nulla controversia: infans enim sive extractus fuerit mortuus, sive vivus, certe non fuit baptizatus, unde nequit in loco sacro sepeliri. (2) Nec in altero, nam infans haud extractus ex utero matris, huius censetur pars et sequitur sortem — Difficultas igitur est in tertio casu — Et re vera, ex lege canonica, infantes non baptizati sepeliendi sunt extra locum sacrum (3), imo si baptizati, licet in loco sacro, tamen non in communibus coemeteriis sed in separatis loculis (4) Ex lege vero civili (5) cautum est posse in uno eodemque loculo sepeliri infantem et ipsam matrem. At si facultas evadit obligatio quid aget Parochus? resistere non valet, negare sepulturam ecclesiasticam matri non potest, ne haec tanto privetur bono, ergo necesse est tolerare

(1) In praesenti non viget difficultas baptizandi puerum in utero matris, allata a S. Thoma. Summa theol. p. 3, q. 68, art. 1. Nam ars chirurgica invenit instrumentum quo, scissa secundina, a qua, ope ei phunculi tangit immediate puerum unde valide et licite baptizatur. Haec opinio de quo cf. Bened. XIV de Sinod. Dioec. lib. 7, cap. 5, n. 2 erat probabilis ipsi S. Alphonso Theol. Moral. lib. 6, n. 107 et nunc admittitur a recentioribus v. g. Ballerini l. c. vol. 2, n. 94 et vol. 4, n. 17. Bucceroni, Instit. Mor. vol. 2, n. 402. D'Annibale, Summ. Theol. Mor. vol. 3, n. 274.

(2) Rituale de exequiis licet Berengo apud Novit. Tul. ser. 2. v. 44. 14. p. 163 teneat posse sepeliri in loco non sacro sed separato a ceteris infidelibus.

(3) Rituale loc. cit.

(4) Rituale de exequiis parvulorum.

(5) Lex 22 Iulii 1892, de regimine urbium in sepeliendis mortuis art. 54.

ad vitanda peiora uti suo loco dicemus — At sepultura infantis fidelium non baptizati polluitur Ecclesia? In probabili sententia (1) respondetur negative quia, " infantes fidelium parentum suorum voluntate iam ad baptismum destinabantur. „

De probabilitate huius sententiae magisque de ratione adducta nostrum non est disceptare, non agimus theoreticam quaestionem ex professo sed potius practicam.

Recordamur tamen aliud ese non pollui Ecclesiam, aliud posse aliquem licite in loco sacro sepeliri.

Unde si urgente necessitate in casu particulari licet Parocho uti hac probabili sententia, huius rationibus innixus nequit indiscriminatim concedere contra legem Ecclesiae sepulturam sacram infantibus mortuis absque baptismo, quoties rogatur a parentibus qui ex levi causa differunt baptisma ad dies et ad menses. Nunc de his qui sunt extra Ecclesiam defectu fidei susceptae et repulsae, ut haeretici et apostatae et defectu legitimae subordinationis, uti schismatici — Res est per se clara: recordamur tamen quod ad negandam sepulturam ecclesiasticam haereticis apostatis, schimaticis haud necesse est constare iuridice de haeresi, apostasia, schismate, sed sufficit notorietas facti uti eruitur ex constitutione Martini V " Inter aucta „ et responso S. O. 6 Nov. 1601 ab Urbano VIII probato; licet vero sepultura haeretici non denunciati non polluatur Ecclesia (2) Ad uberiorem tamen explanationem recordamur nomine haeretici comprehendi omnes qui unam pluresve negant veritates revelatas, nomine apostatae tum qui profitentur atheismum, deismum, pantheismum, rationalismum, indifferentismum (italica lingua *liberi pensatori*) vel quamcumque aliam sectam revelationem negantem, tum qui discedentes a Christiana

(1) Schmalzgrueber, et alii Apud Ballerini Mor. vol. 2. n. 188.

(2) Schmulzgrueber. Lib. 3. tit. 40 nn. 75-76 - D'Annibale loc. cit. vol. 3. n. 19.

fide nullam erroneam sectantur doctrinam, nomine denique schismatici qui " subesse renuunt summo Pontifici et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant „ (1). Unde schismati obnoxii sunt protestantes cuiusvis nominis vel cuilibet sectae adscripti, quae Apostolicae Sedis auctoritati egitimam negant subordinationem et idcirco unitatem Ecclesiae, quantum in ipsis est, solvunt.

De his denique qui sunt extra Ecclesiam defectu canonicae communionis Rituale habet tantum interdici ecclesiasticam sepulturam " publicis excommunicatis maiori excommunicatione, „ De hac locutione observamus: Sublata nunc excommunicatione minori, (2) illud *maiori* pro nihilo est et quilibet excommunicatus aut est toleratus si licet excommunicationi obnoxius ita tamen haberi potest, ac si nulla irretitus censura, aut vitandus, quem fideles vitare tenentur, si vel a Superiore nominatim et publice declaratur excommunicatus; (3) vel est notorius clerici percussor et ita ut „ factum non possit aliqua tergiversatione celari „ (4). At heic exurgit quaestio: sepultura neganda est solis vitandis aut etiam toleratis?

De vitandis et toleratis occultis nulla controversia: his concedendam illis negandam omnes tenent Doctores, de toleratis vero notoriis controvertitur: alii concedunt alii negant. Engl, Zoesius, Avila et Reinffenstuel (5) " negant toleratis notoriis sepulturam sacram tum ex prohibitione sepeliendi excommunicatos in loco sacro quia horum sepultura violaretur, tum ex constitutione Martini V *ad evitanda* qua

(1) S. Th. Summ. theol. p. 2. 2. q. XXXIX art. 1 in. fine.

(2) per constit. Apost. Sedis uti de clar. in decr. S. O. 5 Dec. 1883.

(3) non sufficit enim ut observat Bucceroni loc. cit. vol. 2. n. 1108 si quis sententia declaratur quod commiserit crimen cui adnexa est excommunicatio.

(4) Constit. Martini V. ad evitanda et S. O. 9 Januar. 1884 in Monit. Eccl. serie I X p. 2 p. 217.

(5) Ius Canon. Lib. 3. tit. 28 n. 85.

declaratur nullo modo velle *relevare* vel *suffragari* excommunicatis — Affirmant vero liceitatem sepeliendi toleratos notorios in loco sacro Navarrus (1) Laimann (2) Suarez (3) Scavini (4) D'Annibale (5) De Santi (6) De Luca (7) Schmalzgrueber (8) refutantes rationes adversariorum: nunc prohibitio sepeliendi excommunicatos in loco sacro ex citata constitutione coercitur ad solos vitandos, imo non cadit in excommunicatos iam mortuos qui certe non possunt se sepelire, sed in fideles qui cum toleratis ex citata constitutione possunt communicare etiam in rebus sacris. Ceterum qui toleratis concedunt sepulturam requirunt ut illi dederint signa poenitentiae, secus negant si non praecise ratione censurae tamen ratione criminis adnexi censurae quae non incurritur nisi ob mortale.

Hinc mirum non est si quidam Doctores privant sacra sepultura solos vitandos, (9) intelligunt enim de privatione ratione censurae, unde alii doctores aiunt poena privationis sepulturae plecti vitandos et toleratos aliter tamen et aliter, vitandos ita ut Ecclesia polluatur, toleratos vero non ita (10). Imo vitandi si poenitentes decedunt antequam loco sacro tradantur, a censura debent absolvi uti cautum est in Rituali, (11) licet iam sint mortui, tolerati vero convenit sed non debet (12). Hisce positis de neganda sepultura sacra qui

(1) Manuale Confes. cap. 27 n. 36 ad 2.
(2) Theol. mor. lib. 1 tract. 5 p. 2, c. 4. n. 9.
(3) De Censuris disput. 2. sect. 4.
(4) Theol. mor. lib. 1. tr. 4 disp. 3. c. 3 n. 480.
(5) Summ. theol. mor. vol. 1. n. 114 nota 34.
(6) Instit. Canonicae lib. 3. n. 17.
(7) Instit. Canonicae lib. 4. n. 70.
(8) Ius Tul. lib. 3. tit. 28 n. 57.
(9) Sanguineti Instit. Can. n. 427. aliis omissis.
(10) Bucceroni theol. mor. vol. 2. n. 1119. Ballerini loc. cit. vol. 2 num. 188. De Luca loc. cit. et alii de quibus super.
(11) Rituale Ordo absolvendi excommunicatos iam mortuos.
(12) Sclmalzgrueber loc. cit.

extorres sunt Ecclesia, nunc aliquid attingimus de ea neganda membris Ecclesiae in poenam criminis. De his legitur in primis in Rituali: sepultura negatur " interdictis nominatim et iis qui sunt in loco interdicto eo durante. „

Circa haec observamus: Si interdictis nominatim infligitur poena interdicti totalis vel partialis ab ingressu Ecclesiae, certe privantur sepultura sacra, minime vero si illis interdicuntur solum quaedam sacramenta vel officia divina, licet tali poena affecti sint et dicantur vere interdicti. De illis vero qui sunt in loco interdicto tenendum est omnes fideles etiam infantes et amentes non posse in loco sacro sepeliri: at sublato interdicto si fieri potest corpora exhumanda sunt et more solito sepelienda.

Est autem exceptio favore clericorum eorumque qui in favorabilibus tali nomine veniunt, ut durante interdicto possint in loco sacro sepeliri omissis tamen solemniis exequiarum et sonitu sacri aeris, dummodo ipsi non teneantur interdicto si est speciale, vel non dederint culpabilem causam si generale. *De seipsis occidentibus* et *morientibus in duello* fere nihil dicendum est: at si de illis agitur in dubio de insania possunt in loco sacro sepeliri (9) " vitatis pompis et solemnitatibus exequiarum „ (4): si de his, etiam si absoluti et moriantur extra locum certaminis nequeunt in loco sacro sepeliri. At si congressus non fuerit ex condicto, sicut vivi haud erant obnoxii poenis ita mortui haud privantur sepultura sacra. (1) His vero proxime accedunt morientes in hastiludiis et torneamentis. (2) De publicis peccatoribus observamus. Tali nomine veniunt usurarii notorii nisi alienum restituerint, latrones, incendiarii, adulteri, concubinarii, blasphemi, religiosi proprietarii decedentes sine poenitentia (3)

(4) S. O. 16 Mai. 1866 apud Bucceroni loc. cit. n. 1157.
(1) S. C. C. 5 Oct. 1744 apud Bucceroni loc. cit.
(2) D'Annibale loc. cit. vol. n. 114 nota 29.
(3) Ballerini loc. cit. vol. 2. pp. 190, 193.

uno verbo omnes quorum pessima vita manifesta et notoria est. Meretrices quae confessae sunt et scandalis satis fecerunt, illi qui morte plectuntur si poenitentes decedunt possunt sepeliri in loco sacro " vitatis pompis et solemnitatibus. „

Qui vero praecepto annuae confessionis haud fecerunt satis non possunt privari sepultura sacra nisi post edictum quod (1) amplius non solet proponi. Denique privantur sepultura sacra qui sua voluntate destinarunt sua corpora cremationi vel nomen dederunt societati tale facinus promoventi (2). Si vero aliena voluntate cremationi subiiciuntur licet possint in loco sacro sepeliri, ritus tamen catholici nequeunt adhiberi usque ad cremationis locum (3).

Imo etiam " membra amputata fidelium baptizatorum „ haud licet cremare sed in loco benedicto si fieri potest sepeliri (4).

Coronidis gratia adiungimus. Proselyti pestiferae sectae quae liberalismus auditur, si totum amplectuntur systema privantur sacra sepultura, utpote haeretici, apostatae, schismatici, prout est error quem sectantur, si sola vero quaedam capita tunc oportet disquirere in singulis casibus utrum privantur utpote extorres Ecclesia, vel in poenam criminis si ex adiunctis iudicantur patravisse.

Nunc ad secundam partem primae quaestionis: " quid agendum si denegata sepultura ecclesiastica imminent damna „. Brevissime respondemus: Lex de sepultura ecclesiastica deneganda indignis ab Ecclesia est, quamvis remote et indirecte, in aliquibus saltem casibus a iure divino repetatur.

(1) S. C. C. 24 Iunii 1595 Monit. Eccl. ser. 1. vol. 5 p. 2. n. 211 in nota.

(2) S. U. I. 19 Mai. et 15 Dec. 1886 apud De Luca loc. cit. lib. 2 n. 291 in notis.

(3) loc. cit.

(4) S. O. 3 Augusti 1897 apud eph. Monit Eccl. serie 1. vol. X p. 2. pag. 4.

Unde quum lex positiva generatim (1) non obliget cum gravi incommodo, neque lex de sepultura ecclesiastica et quidem a fortiori in casu particulari imminentibus damnis. At horum aestimatio propria est ordinarii loci, ut optime scribit S. Alfonsus: " Ceterum nemo sepultura privandus in quocumque casu sine sententia Episcopi aut Superioris si cadaver sit Religiosi „ (2). Eoque magis adeundus Episcopus in casu dubio uti cautum est in Rituali et in decr. S. O. 16 Mai 1866 (3). At si recursus Superiori minime pateat et tempus urgeat, haec tenenda sunt. In primis dispiciendum an defunctus indubie privandus sit sepultura: si enim res haud est clara valet principium: " Odia restringenda et in dubiis favendum reo „. Si vero de sepultura neganda nullum est dubium, tunc valet aliud principium. " Lex positiva generatim non obligat cum gravi incommodo „. At si lex in casu particulari non obligat ad negandam sepulturam, quomodo hanc concedere potest? S. R. U. I. 16 Nov. 1609 (4) censuit sepulturam haereticorum tolerandam esse si absque scandalo resisti non potest: et idem declaravit 30 Martii 1859, 14 Nov. 1888 (5) S. P. vero 5 Sept. 1855 et 5 Iulii 1865 (6): parochos passive se habere imo et consulere ius divinum, ecclesiasticum, probatos auctores: dum postea 10 Dec. 1860 (7) declaravit quod " Parochus neque per se neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat „. Denique Summus Pontifex Pius Papa IX f. r. in epistola ad Archiep. Paris. 26 Oct. 1865 scripsit: " si ecclesiastica sepultura negari non potest

(1) Gury. Theol. Mor. vol. 1, n. 100.
(2) Theol. Mor. de legibus append. 2 de privileg. App. n 91 in fine
(3) Bucceroni l. c. vol. 2, n. 1161.
(4) D'Annibale i. c. vol. 1, n. 115 nota 42.
(5) Monit. Eccl. ser. 1. vol. 6, p. 2, p. 127.
(6) Loco cit. ser. 1. vol. 1, p. 189.
(7) Loc. cit. ser. 1. vol. 1, p. 543.

sine gravi incommodo, lethali aut omni culpa caret mortuum efferre ritu catholico, eique solemnia funerum solvere, dummodo haec non extorqueantur in contemptum Ecclesiae, et dummodo defunctus non efferatur signis massonicis feretro aut vexillo appositis „ (1). Si ergo deficiunt conditiones, Parochus nullo modo concurrere potest. Res enim non amplius est de lege Ecclesiae non obligante cum gravi incommodo sed e contra, de professione fidei (2) ut ita dicam exterius emittenda, quam in similibus requirit ipse S. Thoma (3) et pro qua ait D'Annibale (4) lex humana quae recidit in naturalem servanda est cum vitae discrimine. Et re vera concessio sepulturae ecclesiasticae extorta in contemptum Ecclesiae idem est ac negatio tum auctoritatis eius tum dogmatis " extra Ecclesiam non esse salutem „ tacite enim profiteretur impios aeque ac pios homines diem suum in spem resurrectionis obire. Unde his in adiunctis extat nobis exemplum Eleazar, qui antiquius habuit morti obire quam suina carne vesci ei per vim oblata in contemptum legis (5). Absoluta prima quaestione adgredimur alteram: quaenam vexilla admitti liceat in Ecclesiam et quaenam leges tum canonicae tum civiles et poenales. Paucis verbis etiam huic secundae quaestioni respondemus, ita enim res est clara ut nulla indigeat explanatione. Igitur de prima parte sancitum est: *A*) " Non licere admittere nisi vexilla religiosa et pro quibus habetur formula benedictionis in Rituali Romano „ (6). *B*) " Quoad vexilla in Ecclesiam introduenda non esse admittenda nisi vexilla Confraterni-

(1) Acta S. Sedis vol. XI, n. 220 et apud Zitelli apparatus Iuris Ecclesiastici Lib. 2, cap. 3, art. 3 de sepulturis.

(2) Ballerini Theol. Mor. vol 1, n. 249.

(3) Summa Theol. Mor. p. 2, 2, q. 3, art. 2.

(4) Summa Theol Mor. vol. 1, n. 178.

(5) Liber 2° Machabaeorum cap. 6, v. 18 et seqq.

(6) S. R. C. 14 Iulii 1887, n. 5990, confirm. 17 Ianuarii 1890.

tatum et ea quae benedicta fuerint: Non esse benedicenda nisi vexilla earum societatum quarum statuta ab auctoritate Ecclesiastica adprobata fuerint ab eaque aliquomodo dependeant et aliquot religionis signum praeseferant „ (1). *C*) " Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus nullum emblema de se vetitum praeseferentibus in funebri pompa tolerari posse dummodo feretrum sequantur: in Ecclesia vero non esse toleranda nisi, secus turbae et pericula timeantur „ (2). En igitur lex canonica quae ut observat clarissimus P. Brandi S. I (3) non excludit vexillum quod nationale est sed qua non benedictum, imo etiam Romae vexillum militare fuit benedictum propria benedictione (4). Ex dictis de prima parte huius quaestionis fit satis alteri quoad leges canonicas. - Nunc de civili et poenali. - Recepta est sententia legi civili innixa (5) a supremis magistratuum collegiis sancita et confirmata (6), Ecclesiam minime subiici civili potestati in re spirituali et disciplinari. Hinc concludimus: Nulla extat civilis lex aliquid valens praecipere vel prohibere intra ipsas aedes sacras: unde lex civilis de ordine publico (7) dum multa habet de religiosis caeremoniis extra

(1) S. O. 13 Aug. 1887 Monit. Eccl. ser. I. vol. 5, p. 1. p. 200 ubi ex errore est 3 Oct. 1887 ut observ. Civ. Catt. s. XVII, vol. 1, p. 264.

(2) S. P. 4 April. 1887 et S. O. 24 Nov. 1897, Monit. Eccl. ser. I. vol. X. p. 1, p. 233.

(3) Civiltà cattolica, serie XVII, vol. 6, p. 291

(4) loc. cit. vol. 1, p. 264.

(5) Lex 13 Mai 1871, art. 1. " In materia spirituale e disciplinare non è ammesso richiamo o appello contro gli atti delle autorità ecclesiastiche. „

(6) Civ. Catt. serie XVII, vol. 6, p. 295 e seg. 181 Legge di pubblica sicurezza 30 giugno 1890, art. 9 " Chiunque promuove o dirige cerimonie religiose o altro atto di culto fuori de' luoghi a ciò destinati, ovvero processioni ecclesiastiche o civili nelle pubbliche vie deve darne avviso almeno tre giorni prima all'autorità locale di pubblica sicurezza. Il contravventore è punito coll'ammenda sino a lire cento „.

(7) Civ. Catt. serie XVII, volumi 6, p. 295.

templa nihil ausa est praecipere si intra fiunt. Si ergo nulla est lex de obligatione introducendi vexilla in Ecclesiam imo contraria extat decisio supremi collegii Florentini et Lucensis (1) consequitur haud posse puniri qui renuit admittere vexilla in Ecclesiam ubi sola imperat Ecclesiastica potestas. Et ratio est: Lex non punit eum cuius actionem ipsa non reputat crimen (2). Unde renuens admittere vexillum in Ecclesiam etiamsi dicatur nationale non violat legem de ipso vexillo nec de obedientia auctoritati (3), imo etiamsi velimus concedere violationem legis in eo qui renuit admittere vexillum in Ecclesiam etiam ex ipsa lege expers est poenae (4). Et re vera renuens admittere vexillum in Ecclesiam non excludit illud quod nationale est sed qua non benedictum, non transgreditur mandatum auctoritatis quod in casu non erit legitimum. Denique si inobediens est, ex ipsa lege canonica vel iussu Ecclesiasticae auctoritatis est, quae omnia non excluduntur a lege poenali de qua supra. Ceterum haec omnia clare demonstrant nullam extare legem poenalem de obligatione introducendi in Ecclesiam vexilla aeque ac nulla extat civilis, si quis vero adaequatam vellet tractationem conferat quae scripsit praelandatus P. Brandi a quo plura attingimus. His ta-

(1) Codice penale vigente in Italia " Nessuno può essere punito per un fatto che non sia espressamente preveduto come reato dalla legge „ art. 1.

(2) Cod. cit. " Chiunque per fare atto di disprezzo toglie o distrugge in luogo pubblico o aperto al pubblico la bandiera o altro emblema dello Stato è punito colla detensione da 3 a 20 mesi „ art. 115.

(3) Cod. cit., " Chiunque trasgredisce ad un ordine legalmente dato dall'Autorità competente, ovvero non osserva un provvedimento dato dalla medesima per ragione di giustizia o di pubblica sicurezza, è punito coll'arresto sino ad un mese e coll'ammenda da lire 20 a 300 „ art. 434.

(4) Cod cit., " Non è punibile colui che ha commesso il fatto per disposizione della legge o per ordine, che era obbligato ad eseguire dall'autorità competente „ art. 40.

men non obstantibus Ecclesiae hostes qui dum habent in ore " Ecclesiam liberam in libero Statu „ et in facto volunt " Ecclesiam subditam libero Statui „ quandam provocarunt a civili potestate (1) decisionem de obligatione introducendi in Ecclesiam vexillum nationale.

De iniuria illata Ecclesiae hac decisione deque huius valore iuridico nostri non est heic disceptare, qui vero vult adaequatam habere notitiam de hac re deque valore iuridico harum decisionum conferat quae catholici viri bene merentes de iuribus Ecclesiae ex civilibus desumptis scripserunt (2). Nunc de tertia quaestione: Quid facere oporteat Rectori Ecclesiae si vexilla per vim introducta fuerint et quid Celebrans agere debeat? Etiam hanc tertiam quaestionem brevissime absolvemus. Extat enim norma directiva ab Auctoritate Ecclesiastica emanata quae clarissima est, et ita se habet: " Quando agitur de vexillis quae praeseferunt emblemata manifeste impia vel perversa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat: si in Ecclesiam per vim introducantur, tunc si Missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat: at si inchoata, post eam absolutam, solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus, nullum emblema de se vetitum praeseferentibus, in funebri pompa tolerari posse dummodo feretrum sequantur, in Ecclesia vero non esse toleranda nisi secus turbae et pe-

(1) " Il Consiglio di Stato ha giudicato che „ salvo provvedimenti politici di competenza naturalmente del Governo sui quali il Consiglio di Stato non si pronunzia, possa il ministero di grazia e giustizia sospendere le temporalità a quei parroci che opponessero tale rifiuto (l'ammissione in Chiesa) alla bandiera nazionale ... Civ. Catt. ser. XVII, vol. 6, p. 103.

(2) Civ. Catt. ser. XVII, vol. XII, pp. 354, 355 — ser. XVIII, vol. 4, p. 195 et seqq. Ephem. quot. — l'Osservatore Romano, anno XLI, nn. 261, 262.

ricula timeantur „ (1). En igitur norma: quid clarius? Attamen quum malitia hominum quaelibet vexilla manifeste impia ratione solius coloris nationalia dicantur, multoties clerus in discrimine est utrum pareat legi canonicae vel, ex tolerantia, civili. Quid vero in praxi agendum? oportet dispicere ex circumstantiis an locus erit distinctioni supra habitae de neganda vel concedenda sepultura imminentibus damnis. Iuvat tamen semper recordari illud Divi Pauli " oportet obedire magis Deo quam hominibus, „ quod quidem rememorat Summus Pontifex Leo XIII feliciter regnans, dum scribit: " Scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus causa, discedere; nefas, Iesu Christi leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, aut per speciem civilis conservandi iuris, iura Ecclesiae migrare „ (3).

Hinc concludimus, cum clarissimo P. Brandi: Parochos indigere prudentia qua nihil positive contra legem civilem agant, fortitudine, qua nihil sui officii omittant, quibus observatis, turbo ipse ex se evanescit (4).

Absolutis denique theoreticis quaestionibus, nunc ad earum applicationem in casu proposito. Parochi agendi ratio in multis improbanda, in aliquibus tantum probanda est. Nam licet bene egit, festinus accedens ad miserum Ladislaum quem, sola assertione praesentium de signis poenitentiae, absolvit, male tamen egit absolute absolvens, uti eruitur ex casu. His enim in adiunctis etiam benigniores theologi docent, absolutionem impertiendam esse sub conditione.

Quod vero noluit absolvere ne sub conditione quidem nisi certus de signis poenitentiae, non possumus nec laudare nec censurare: et ratio est quia plures theologi auctoritate

(1) S. P. 4 Aprile 1884. — Monit. Eccl. ser. I. vol. X. part. I. p. 233.

(2) Epist. 2. ad Timoth. cap. 1. v. 7.

(3) Litt. enciel. " Sapientiae christianae „ 10 Ian. 1890 in Ephem. cit. — Monit. Eccl. ser. I. vol, 6. part. I. p. 272.

(4) Civ. Catt. serie XVII. vol. 6. p. 300.

eximii tuentur et docent sententiam Parochi, dum e contra alii, et quidem graviores, contrariam tenent. Agitur enim de vita aeterna morientis cui forsitan subvenire potest absolutione sub conditione, qua salva est dignitas Sacramenti et consulitur, quantum ex Sacerdote est, vitae aeternae morientis. Ceterum, sacramenta propter homines (1).

De sepultura autem Ladislao concessa deque adiunctis nimis expertem legis canonicae sese ostendit Parochus. Nam de sepultura concedenda notoriis excommunicatis publicisque peccatoribus, si ex dictis fas est, declaravit S. Poenit. 20 Mart. 1885: " Evulgatis resipiscentiae signis dari posse sepulturam ecclesiasticam, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concurrant, Parochus consulat Ordinarium et stet eius mandatis „ (2). Praeterea morientes in singulari certamine, etiamsi extra locum conflictus et absoluti ceterisque morientium sacramentis refecti, semper tamen ecclesiastica sepultura privandi sunt, uti supra innuimus et communiter docent Doctores: imo qui ea non donantur, nec ritu catholico licet efferre, nec eis funebria persolvere (3). Quum autem miser Ladislaus non solum plurimis erat innodatus censuris, notus propter pessimam vitam, sed etiam obiit ex singulari certamine, procul dubio privandus erat sepultura ecclesiastica. De exequiis autem in Ecclesia, praesente massonico vexillo, ex dictis in secunda et tertia quaestione patet Parochum teneri non peragere Sacrum si vexillum iam erat in Ecclesia; discedere, finita Missa, si, hac inchoata, per vim introductum fuerat in Ecclesiam, emissa tamen solemni

(1) Heic non agimus ex professo de absolutione impertienda morientibus sensibus destitutis. Optima tractatio ad rem reperitur in Eph. Monit. Eccl. ser. I. vol. 6. prrt. 2. pp. 107-113, ubi tuetur et amplectitur sententiam Parocho contrariam.

(2) Loc. cit.

(3) D'Annibale, Summa Theol. Mor. vol. I. n. 115.

protestatione, et consequenter nullo modo posse dare absolutionem ad tumulum. Denique de funebri oratione habita in Ecclesia a coriphaeo massonicae sectae, temere se gessit Parochus si actu positivo permisit, timide si negativo, male in utroque. Nam oratio funebris fit in laudem defuncti: at quibus laudibus dignus erat Ladislaus? censuris, notoriis peccatis, vel singulari certamine? Praeterea si oratio funebris fieri vellet, non a laico, a fortiori massonico, sed a Sacerdote facienda est: sancitum enim est: " Accedit sermocinaturus vestibus nigris indutus, sine cotta „ (1) et absque stola (2), quae certe indumenta sunt Sacerdotum, non laicorum. Toleratur tantum quod sermo qui fit in coemeterio, non autem in Ecclesia, fiat a laico: in utroque tamen casu de licentia Episcopi (3). Quid autem ex his curavit Parochus? Plane nihil. Concludimus ergo fere in omnibus eius agendi rationem nimis improbandam.

LEONARDUS MARGIOTTA ZEMA, *Presbyter Reginus, proposuit et resolvit hanc quaestionem.*

" Nota „ Rmus Academiae Censor Anastasius Fourneret et ipse suam ad nos elucubratam solutionem quaestionis dedit, cuius doctrina et conclusiones eaedem plane sunt atque alterius. Hanc nihilominus, prolixiorem licet, vulgavimus, quia magis enucleate rem pertractat.

(1) Caerem. Episc. lib. 2. cap. XI. n. 10.
(2) S. R. C. 14 Iunii 1854, n. 5010.
(3) Scavini et Berengo apud Monit. Eccl. ser. I. vol. 4. part. I p. 114.

APPENDIX

E Secretaria S. Rituum Cong.nis.

Declaratio circa novas editiones Cantus Gregoriani (1).

D.no Carolo Poussielgue — Parisiis.

Romae, die 10 Iulii 1901

PRAESTANTISSIME DOMINE,

Ad petitionem, quam, per Dominum Stephanum Vedié exhibuisti, et quae novam respicit editionem Gregoriani Cantus, haec Sacra Rituum Congregatio respondit, declarando, cessato privilegio Domino Pustet Ratisbonensi concesso, quoad Mediceam Editionem, nihil obstare, ex parte eiusdem S. C., quominus typographi, servatis semper de iure servandis, novis editionibus dent operam, sive eiusdem Mediceae sive aliarum, quae legitime sint in usu, iuxta declarationes ab hac S. Sede evulgatas.

Haec dumtaxat S. Rituum Cong.tio, hic et nunc, respondere potest petitioni a te exhibitae, prout et similibus, quae a typographis eiusdem S. C. seu ab aliis sibi exhiberentur.

Et amplissimo erga te observantiae testimonio me tibi profiteor

Addictissimum famulum
† D. PANICI, *Archiep. Laodicen.*
S. R. C. *Secretar.*

(1) Versio ex italico idiomate cuius en tenor:

Roma, li 10 Luglio 1901.

Pregiatissimo Signore,

In ordine alla domanda presentata da V. S. per mezzo del signor Stefano Vediè, e concernente una nuova edizione del Canto Gregoriano, questa Sacra Congregazione dei Riti ha dichiarato, che, essendo cessato il privilegio concesso al signor Pustet di Ratisbona, relativa-

mente all'edizione Medicea, nulla osta per parte sua, che i tipografi, osservate sempre le debite norme, facciano nuove edizioni della stessa Medicea, o di altre, che siano legittimamente in uso, secondo le dichiarazioni emesse in proposito dalla S. Sede.

Questo è ciò che la S. Congregazione dei Riti può attualmente rispondere alla domanda inoltrata dalla S. V., come a domande consimili, che le venissero presentate dai tipografi della stessa Sacra Congregazione o da altri.

E con sensi di ben distinta stima, passo a dichiararmi

Dev.mo Servo

† D. Panici, Arciv. di Laodicea,
Segr. della S. Cong. dei Riti.

E S. Rom. et Un. Inquisitione

Circa condensationem musti pro fortificanda alcoolicitate vini pro Missae Sacrificio adhibendi.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus N. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit:

In regionibus nostris admodum difficile est verum et genuinum vinum pro SS.mo Missae Sacrificio mihi comparare. Fidere namque debeo mercatoribus extraneis et ignotis, qui aliquando iam non genuina merce defraudarunt. Nunc ab aliquo tempore in ipsa civitate N. quidam vir ex uvis nostrae regionis vinum parare coepit. Sed, cum haec uva egentissima sit materia saccarina, et consequenter vinum inde proveniens non multum *alcool* contineat, curatione aliqua opus est, ut vinum elevetur ad illum gradum *alcoolicitatis*, quem eius conservatio requirit. Hunc in finem laudatus vir methodum evaporationis musti adhibere proponit ad vinum pro SS.mo Sacrificio parandum, ea quidem ratione

ut liquor ex uvis expressus, ad dimidium decoctus, vinum producat quod 14 vel 16 gradus *'alcool'* habeat. Ad omnem tamen in re tanti momenti dubitationem tollendam, Archiepiscopus orator humiliter declarari **postulat**:

Utrum licitum **sit ad SS.mum Missae Sacrificium offerendum huiusmodi** vino uti?

Feria IV, die 22 Maii 1901.

In Congregatione S. R. et U. Inquisitionis ab EE.mis et RR.mis DD.nis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, proposito praedicto dubio praehabitoque Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres decreverunt:

Detur decretum diei 5 Augusti, quod sonat:

" Utrum licitum sit ad Sanctae Missae Sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod ante fermentionem vinosam per evaporationem igneam condensatum est? *Resp.* Licere, dummodo decoctio huiusmodi fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit, et de facto obtineatur ".

Sequenti vero feria VI, die 24 Mai 1901, in solita audientia SS.mi D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII, a R. P. D. Commissario S. Officii habita, SS.mus D. N. resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et Un. Inquisit. Not.*

E S. Cong.ne Indulgentiarum

PARISIENSIS.

DECRETUM

De Sodalitatibus sub titulo *Sancti et Immaculati Cordis Mariae pro conversione peccatorum* **Archisodalitati Parisiensi aggregandis.**

Parisiis, in Templo Beatae Virgini *des Victoires* dicato, iam inde ab anno 1837 canonice erecta fuit pia sodalitas sub titulo Sancti ed Immaculati Cordis Mariae pro conversione peccatorum, quae haud multo post ab Apostolica Sede ad gradum Archisodalitatis evecta est, cum facultate ceteras eiusdem nominis et instituti sodalitates sibi aggregandi, eisque proprias Indulgentias communicandi. Quam grata huiusmodi societas exstiterit Deiparae Virgini, et quam salutares in Ecclesia fructus ediderit, id apprime comprobant spirituales gratiae, quas misericors Deus copiose elargiri dignatus est, intuitu precum a confratribus ad peccatorum conversionem obtinendam coniunctim effusarum.

Quamvis autem fere innumera praedicta Archisodalitas sibi similia sodalitia adiunxerit per universum catholicum orbem diffusa, nihilominus tractu temporis factum est, ut nonnulli Episcopi directe facultatem petierint et obtinuerint erigendi in suis Dioecesibus memoratam confraternitatem, cum Indulgentiis parisiensi Archisodalitio a RR. PP. concessis, quin ab ipso aggregationem expeterent; quae proinde confraternitates, nullo servato unionis vinculo, in pluribus locis seiunctae manent ab ea, quae omnium mater et caput est. Quae agendi ratio, praeterquamquod inane reddit privilegium sodalitati principi collatum, ceteras sibi aggregandi,

aliud etiam secum fert non exiguum incommodum, defectum nimirum illius universalis coniunctionis in persolvendis precibus, quae procul dubio divinae Bonitati maiorem vim facit, ut, Deipara opitulante, peccatores e coeno vitiorum ad salutis tramitem reducantur.

Haec omnia animadvertens hodiernus E.mus Archiepiscopus Parisiensis, Ss.mo D.no Nostro Leoni PP. XIII preces subiecit, ut his omnibus sua auctoritate providere dignaretur. Quas porro preces, in audientia habita die 8ª labentis mensis, ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, relatas, Sanctitas Sua peramanter excipiens, decernendum mandavit, ut sodalitates omnes ab Ordinariis erigendae sub titulo Sancti et Immaculati Cordis Mariae pro conversione peccatorum in posterum Indulgentiis non aliter perfruantur, quam sese aggregando Archisodalitati parisiensi; quod vero attinet ad sodalitates alibi iam erectas cum Indulgentiis absque debita affiliatione, idem Ss.mus praecepit, ut quamprimum sese eidem aggregent; quod quidem in Europae regionibus infra annum, extra vero infra biennium, a die huius Decreti computandum, omnino erit exequutioni mandandum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Novembris 1901.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

PROPRIETAS LITERARIA.

Roma. 1902. — Scuola Tipografica "Tata Giovanni", *Piazza del Biscione, 95.*